



AB

583



100h





S E N T E N T I Æ  
SALOMONIS  
IVXTA HEBRAICAM  
VERITATEM SVMMAM  
cura redditæ.

AVTHORE  
PHILIP. MELAN.



HENRICOPOLI  
Excusæ per Conradum Corneum  
M. D. VIIIC.



LIBER AD LECTO-  
rem

IACOBVS MYCILLVS.



Non nimium spirouæ crocum, non pumice  
vasus,

Candida de veterum cornua more gero

Mendaces siquidem decet ista superbia libros,

Seq̃; peregrina vendere mundicie.

Nudus ego superas volui prodire sub oras,

Dum modò sim verus, sat puto cultus ero.

Non ausos recito cœlum spirare Gigantes,

Nec Iouis in turpi fungor adutlerio.

Quid faciat castos mores, quid pectora sana,

Quo veniat dignè vita gerentia modo.

Hæc ego suscepi lector studiose docenda,

Hic scopus, hæc nostri summa laboris erit.

Hæc quondam vt posset Regina audire Sabæa,

Venit ab Austrino fœmina vecta polo.

Tantus erat virtutis honos, ea gloria recti,

A nunc & croceis vende te muneribus.

ILLV.



ILLVSTRISSIMO SAXO-  
niæ Principi, D. Iohanni Fride-  
rico Philip, Melanch.

S. D.



V M viderem in tanta librariorum  
icentia futurum, vt scholia nostra  
lin Sententias Salomonis dictata,  
publicarentur, res postulabat, vt  
erratis, quæ sunt in eo commenta-  
riolo non parum multa, aliqua ex parte mederer  
Neque enim fieri potuit, in tam obscuris ac bre-  
uibus Apophtegmatibus  $\pi\epsilon\sigma\theta\lambda\acute{\upsilon}\pi\epsilon\rho\nu$ . Et recogno-  
scere commentarium non sinebant librarij, qui  
prius videbantur edituri, quàm nobis vel relege-  
re. Nihilo felicius & antea editi sunt aliquot  
commentarij mei, primum antequam maturuis-  
sent, deinde mutilum & plerisque locis opifi-  
cum in curia, adeò deprauati, vt non agnoscam.  
Atque meo sanè iudicio inter huius seculi innum-  
mera mala, non postremum habet locum typo-  
graphorum improbitas dicam, an impudentia,  
qui cum citra delectum cudant, edantque omnia,  
vnde lucri spes est. Deum immortalem, quan-  
tum incommodant rebus humanis. Nam ferè  
pessimos quosque libellos, quia plurimos ha-  
bent emptores, orbi detrudunt, quibus cum labe-  
fiat alicubi religio, opprimantur honestæ artes,  
atque literæ, sæuiatur in bonos viros, publica  
tranquillitas perturbatur, quid fingi potest per-  
niciosius &

A

niciosius &

hiciofus? Sed valeant illi vt merentur. Equi-  
dem putauī fidei meæ referre, vt lecturis Salo-  
monem accuratius consulerem, posteaquam id  
vtrunque videor illius opusculi titulo pollici-  
tus. Proinde Salomonem ipsum de integro  
ita Latinè reddidimus, vt intelligi posset, id quod  
in veteri interpretatione desiderabatur. Feci autē  
hoc eò libentius, quod mereri populus videba-  
tur, vt pœnitūs cognoscerent, & ediscerēt pueri.  
Nam & pietate sanctissimas opiniones teneris  
pectoribus instillat, & de communibus moribus  
mirè ciuilitè præcipit. Iam & ipsum autorem  
circumferri malui, quàm meum commentariolū.  
Præstat enim & ad conscientiam confirmandam,  
& ad formandum iudicium, cum Prophetis ipsis  
tanquam domi colloqui, quàm ex commentarijs  
sapere, qui ferè Prophetarum sententias procul  
ostendunt, si tamen ostendunt. Et vt in interpre-  
te nihil possis reprehendere, tamen & hic iuxta  
Prouerbum: *Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ.*  
Itaque pro enarratione nostra, autorem exhibeo  
ipsum, ne nos χαλκεία χρησείων commuta-  
tis, integrum enim opus Salomonis pro mutilo  
commentario, elaboratum pro extemporaneis  
adnotationibus, denique Prophetias pro ho-  
munculi sententijs, exponimus.

Porro vt obiter hoc etiam admoneam, in  
vertendo hoc seruauimus, vt in ijs locis, quæ de  
fide,



## PRAEFATIO

fide, aut timore præcipiunt, & ad muniendam conscientiam pertinent, modò sententias fideliter repræsentaremus; sed verba etiam serè adnumeraremus. In ciuilibus sententijs, sunt enim non parùm multæ, *πολιτικαὶ* fuimus liberiores, necubi lectorem obscuritas moraretur. Quid enim attinet interpretari, si intelligi nolis? Nec enim iudicia eorum, qui Iudaicam quandam superstitionem in vertendo requirunt, qui cum liberalibus & elegantioribus disciplinis non sunt perpoliti, nec quidem possunt de vlllo genere orationis rectè iudicare. Hoc ergo quicquid est operis, Illustrissime Princeps, tibi dedicare volui, & vt studium tibi meum probarem, & vt adhortarer te ad pietatem interprete καὶ προζένω Salomone.

Par est autem hunc Regem audire de officijs omnibus vitæ præcipientem, quem constat primùm sapientia præstitisse regibus omnibus, omnium ætatum ac gentium, deinde nihil docere nisi verbum DEI. Apud Homerum Agamemnon optat sibi decem *συμφράδμους* Nestoris similes contingere, nam huius prudentiam in primis suspiciebat. Quantò meliùs autem tecum agitur, cui Salomonis consuetudine frui licet, & cum tali symphradmone de rebus omnibus publicis ac priuatis consultari, ac commentari, qui multis modis Homericum senem vincit.

## PRÆFATIO.

Proinde si feliciter cupis imperium gerere, tales admitte vitæ magistros & toto pectore religionem cole. Sic enim & diuinitus præceptum est, ut librum legis habeant in manibus Principes, & ex se comparent. Falleris si humana industria, aut viribus, defendi posse imperij possessionem censes. Frustra conaberis omnia, nisi pietate Deum deuinxeris, qui consilia tua fortunet. Id subinde inculcat in his sententijs Salomon, & testantur minimè obscuris exemplis historix. Simul autem cum religione rem literariam tibi commendo, ut honestarum artium, ac disciplinarum patrocinium suscipias, quæ hac turbulenta tempestate nanfragium facturæ videntur, nisi à bonis Principibus summa ope defensæ fuerint. Nihil autem magis regium susceperis, quàm hanc prouinciam propugnandarum literarum, quæ cum religioni ornamento sunt, tum publicarum legum & ciuilibus disciplinæ, & humanitatis scientiam continent, Quod vulnus iterum accipit religio, ubi linguarum studium frigere cœperit, cum intelligi diuini Spiritus voluntas, nisi ex Prophetico sermone non possit, & de sermone haud verè iudicare queant hi, qui nostris literis non sunt exculti. Iam ciuilem disciplinam necesse est contuelli, nisi ijs artibus, quæ de vitæ officijs, & communibus moribus præcipiunt ad virtutem iuuentutis animi inuitentur ac instituantur. Nemo Republicas, siue religio-

nam

## PRÆFATIO.

nem spectes, siue ciuiles mores, , grauius læserit, quam qui à studio liberalium artium iuuentutem retrahit. Est enim omninò vis earum opinione vulgi maior. Quare aduersus praua iudicia imperitæ multitudinis, aduersus importunitatem indoctæ turbæ, aduersus vim atque iniuriam, à vestro ordine opem implorant, ad vos tanquam in portum quendam, & perfrugium se conferunt.

Quia fuerit autem crudelius, quam barbaro furore vulgus innocentes, imò optimè merentes de rebus humanis, perdere ac perpeti, vt opprimantur, ac deleantur. In fabulis est. Midæ Phrygum Regi, quod e Musica non satis prudenter iudicasset, ab Apollo line asininas aures additas esse. Quantum auem, bone Deus, in illo procerum vulgo Mydaria hodie habemus, qui non modò literas nullas nōiunt, sed contempnunt etiam, & nugæ esse sentiunt, quas collusitanies in scholis ociosi homines commenti sunt.

O perniciosum errorem. Nam si literas rebus humanis exemeris, exulare via virtutes omnes, ac paucis artes contingent. Quanto de sese prædicant ipsæ Musæ apud Hesiodum rectius cum affirmant se de grauissimis rebus agere, & vera bona mortalibus ostendere. Sic enim aiunt: ἰδ' ἔγωγε καὶ ἴψα θεῶν ἀλυσία μηδὲν ἴσθαι. Itaque te publica vtilitas commoueat,

A

4

2

## PRÆFATIO.

& tuarum gentium salus, quæ incolumis esse non potest, extinctis literis, ut eas aduersus improborum temeritatem fortiter defendas. Cum enim diuino beneficio nuper reflorescere cœperunt, ne agnoscere quidem DEI liberalitatem videberis, nisi cœleste munus religiosè conseruare contendas, & cum hoc conatu in primis delectatus Christus, tum non alio officio vberius de his gentibus mereri poteris.

Neque verò vsquam felicius, collocare beneficium putes, quàm in has, cumulatè enim benè merito gratiam reddunt. Nam eum alumnae sint omnium virtutum, caue putes in eas ingratitude cadere posse. Quare Salomonem nostrum ita excipies, ut sentias te monitorem & doctorem religionis, & aliarum virtutum domum admittere, simulque committi tibi honestarum artium ac literarum patrocinium. Id si susceperis, tum demum verè Principem ages. Quod si hoc munus Princeps abdicarit, cætera nihilo verius, quàm scenicus ornatus regem afficiunt. Habes autem & domestica exempla, quæ te ad res pulcherrimas accendere ac inflammare possunt, quæ imitari ac sequi, pars quædam pietatis est, & patrocinium tuum, ac imperij rudimenta spem nobis faciunt, fore te honestis studijs præsidio, ac Reipublicæ salutarem. Vale feliciter.

PRO-

## PROLOGVS.

**S**ententiæ in omnibus linguis, sunt aut præcepta breuia de moribus, aut admonitiones de communibus vitæ casibus, de breuitate vitæ, de varietate fortunæ, de perfidia hominum, quales exitus habeant rectè facta, aut secús facta. Quæ tamen ipsæ sententiæ præcepta dici possunt. Sunt enim traditæ à sapientissimis hominibus, & consuetudine comprobatæ, tacitè præcipiunt, quomodo gubernari casus illi vitæ debeant, quorum mentionem faciunt. Possunt itaque in vnaquaque lingua receptæ à populo sententiæ in locos communes virtutum, aut cognatos illis, tanquam in classes distribui, vt ad beneficentiam pertinent: Beneficium accepit, qui digno dedit. Ad amicitiam, Amicus certus in re incerta cernitur. Ad fortunam, Fortuna quem nimium fouet, stultum facit. Ad experientiam seu prudentiam, Discipulus est prior posterior dies. Sic etiam hæ sententiæ Salomonis, vel in locos communes, Vel in decalogum distribui possunt, quoniam decalogus fons est omnium præceptorum.

Principio autem monendi sunt lectores, interesse inter prophanas sententias, & has, quæ continentur in sacris literis, quia prophanæ sententiæ, cum peperit eas humana ratio, tantùm de civilibus moribus, aut de eiusmodi casibus, quos experientia ostendit, præcipiunt. Potest enim ratio de civilibus moribus rectè iudicare ex legibus naturæ, ex quibus, quia diuinitùs animis hominum

Prouerbio-  
rum vtiilitas

## PROLOGVS.

hominum inscriptæ sunt, omnia honesta præcepta colligit. Multa enim experientia didicit, vt, Raros esse fidos amicos. Non esse diuurnam improborum felicitatem. Paucos in rebus secundis moderatos esse. Itaque de moribus & de talibus vitæ casibus extant doctorum hominum præcepta & sententiæ in omnibus penè scriptoribus. Multi etiã nihil nisi sententias scripserunt, quoniam putabant ad mores formandos nihil vtilius esse, quàm huiusmodi breuia oracula semper ob oculos posita habere, vt Hesiodus, Theognis, Phocilides. Sed sententiæ in sacris literis non tantùm præcipiunt de ciuili consuetudine vitæ, sed etiam de voluntate Dei, de timore Dei, de fide, de cruce, de his locis quoniam iudicare ratio non potest, aut nullæ, aut falsæ sententiæ in humanis literis inueniuntur. Nam vt alia omit- tam, de cruce longè fallitur ratio, neque enim certo Dei consilio affligi homines arbitratur, sed aduersa temerè accidere bonis & malis. Illud verò multò minus sentit, calamitates nobis vtilis esse, & eos, quos Deus affligit, in primis ab eo diligere: Sed sacræ literæ docent primùm affligi homines certo Dei consilio, sicut Paulus ait: Dum iudicamur à Domino corripimur. Non ait, temerè id accidere. Et Christus negat passeres mori sine voluntate patris. Deinde docent nos affligi, vt vocemur ad poenitentiam, quemadmodum ait Dauid. Bonum mihi, quod humiliasti me, vt discerem justificationes tuas. Et Paulus > Cum iudicamur

PROLOGVS.

judicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Itaque in hoc libello Salomonis sunt multæ Propheticae sententiæ, de timore Dei, de fide, de cruce, de promissionibus, de comminationibus diuinis. Has sententias in primis oportet obseruare, quoniam in prophanis literis nullæ sunt earum similes. Deinde etiam ciuilium morum præcepta, non omninò eodem modo tradunt prophana literæ & Prophetica. Nam Propheticae literæ addunt plerunq̃ue aut promissionem, aut comminationem præcepto. Ratio ipsa docet Parentes esse colendos, sed Deus addit promissionem, Si vis esse longæuus super terram. Hanc promissionem ratio non videt, nec statuit à Deo puniri ingratos. Ratio iudicat, Turpe esse mendacium, sacrae literæ addunt, à Deo puniri. Sic enim ait Salomon; Abominatio coram Deo labia mentientium. Ratio sentit, Magistratibus obediendum esse & poenas publicarum legum metuendas, sed addunt sacrae literæ, Deum vlcisci contumeliam Magistratum, etiamsi Magister ipse vlcisci nequeat. Sic enim ait Paulus: Qui Magistratui resistit, iudicium acquirit. Similes sententiæ sunt aliquot in Salomone. Ita simul nos docent sacrae literæ, ciuiles mores, & timorem Dei, & fidem. Prophani scriptores tradunt tantum præcepta morum ciuilium, nec attingunt doctrinam timoris & fidei.

SEN-

# SENTENTIAE

SALOMONIS.

CAPVT I.

Titulus ope-  
ri additus  
est, cū pro-  
positione  
coherens.

Propositio  
aut submo-  
net, quæ sit  
vis qui vsus  
verbi DEI  
κεφαλει-  
ον operis.

Humana  
sapientia  
docet fidere  
nobisipsis.

Hic doce-  
tur timor  
DEI.

Damnatur  
solicitude  
de victu,  
quam ferè  
impellit ad  
rem quo-  
quo modo  
faciendam.



**S**ALOMON Dauidis filius,  
Rex Israëitarum, sententias  
conscripsit, vnde discantur, sa-  
pientia, castigatio, intelligen-  
tia, prudentia, iustificatio, jus & rectum,  
vnde & calliditatem imperiti, & pueri sci-  
entiam & consilia petant.

Sapientes vbi audierint, promoue-  
bunt, & cordati industriam consequentur,  
vt intelligant sententias, interpretationem  
sapientum, consilia & exempla.

Timor DEI scientiæ initium est,  
Contrà, Sapientiam & eruditionem stul-  
ti aspernantur.

Audi Fili paternam castigationem, &  
matris tuæ legem ne negligas. Nam ea de-  
mum capiti tuo pulcherrima bulla fuerit,  
& collo torques.

Fili, si te inuitauerint peccatores, ne  
obsequaris. Si dixerint, nobiscum ambu-  
les, insidiamur sanguini, abdamus nos, vt  
innocentibus exitium machinemur, &  
quemadmodum inferi viuos absorbeamus  
probos tanquã ruentes in voraginem Ma-

gnas



PROVERBIA

gnas opes reperiemus, ædes nostras spolijs locupletabimus, sortem tuam & inter nos deijce, commune sit omnium nostrum, Mi fili, ne ambules cum eis, arceto pedem tuum ab aliorum via: Nam pedes eorum ad exitum properant Frustra tenduntur retia volucris ob oculos, & isti sibi mutuo insidiantur, nec vita eis inter ipsos in tuto est. Hic auarimos est, ne vitæ quidem alterius parcat.

*QVERIMONIA? Quemadmodum ubiq; dolent Prophetæ, contemni verbum DEI.*

Sapientia foris clamat in plateis vocem edit, multitudini præit, pro portis clamatans, & in vrbe concionatur.

PROVERBIA.

Quousq; tandem imperiti amabitis imperitiam, & subsannatores sannis delectamini, & fatui scientiam odistis? Aduertite animum ad increpationem meam. Ecce spiritum meum vobis efflabo, sententiam meam exponam. Cum voco vos recusatis, cum porrigo manum, nec aduertit animum. Omnia consilia mea negligitis, & increpationem fastiditis. Proinde & ego in calamitate vestra ridebo vos, cum subita mala ni-

Ibi multis exempla diuitum imponunt, & splendor.

*πᾶσι τοῖς κῶς dixit.*

Frustra illos conari, q. d. Arenæ

semina mandant, aut,

Non profecturis littora bobus

arant. Nisi enim retia

tegantur & arte allici-

antur aues nihil egeris

Significat igitur, frustra esse con-

natus impiorum.

Deus enim

hil non spirat.

## PROVERBIA

hil tale metuentes perterrebunt. Tum vo-  
cabunt me, ego verò non exaudiam, quæ-  
rent non inuenturi. Nā oderunt scintiam,  
& timorem Domini non elegerunt Fastidi-  
erunt consilia mea, & increpationes calū-  
niati sunt. Itaq; fructus edent operum su-  
orum, & consilijs suis saturabuntur. Nam  
imperitis exitio sunt illecebræ, quibus pa-  
rùm cauti capi solent, & fatuos secundæ res  
impiorum perdunt. Quisquis me audierit,  
secutus erit in tranquillo.

Primi Capitis Finis

## CAPVT II.

### ADHORTATIO.

**F**ILI, si acceperis verba mea, & man-  
data mea apud animum reposueris, vt  
auscultes sapientiæ, accommoda cor, vt pro-  
bè intelligas: Nam si postulaueris intelli-  
gentiam, eamq; accersieris, si velut argen-  
tum quæsieris, & inuestigaris tanquã the-  
sauros, intelliges timorem Domini, & De-  
um cognosces.

*Consilia  
& successus  
à Deo est.*

**D**EVS enim ex ore suo sapientiam  
& scientiam, & intelligentiam largitur.  
Rectis dat successum, protegit probos, ius  
tuetur,

## SALOMONIS

tuetur, Et iter sanctorum suorum custodit,  
Ita demum intelliget iusticiam, jus, recta,  
& bonas vias omnes.

Si sapientiae studium te tangit, & sci-  
entia placet tibi, consilium seruabit te, &  
intelligentia custodiet te, eripietq; à mala  
via, & à viro peruersa loquente, & ab ijs  
qui regiam viam relinquunt, & in tenebris  
ambulant, qui scelere & peruersitate gau-  
dent, quorum peruersae viae sunt, quos ip-  
sorum via arguit desertores esse.

Eripiet item sapientia te à muliere *In scortati-*  
aliena, quae se blanditijs venditat, & relicto *onem acer-*  
pristino marito, pacti diuini obliuiscitur: *rimè inue-*  
Nam ruinam minatur domus eius, & via *bitur, do-*  
eius ad interitum ducit. Quotquot ad eam *cetq; caueri*  
accedunt pereunt: Propterea viam bonam *non posse*  
insistito, & viam iustorum observa. *Recti nisi munia-*  
in terra perdurabunt, & probi in ea super- *mur verbo*  
stitutes erunt. Impij è terra extripabuntur, *DEI.*  
& funditus delebuntur, quotquot contem-  
nunt DEVM.

## CAPVT III.

*παραινέσις*

*Verbum*

**F**ILI, NE CAPIAT TE OBLI- *affert vitā*  
uio Legis meae, & praecepta mea infige *Deuter. 8.*  
*cordi Num. 38.*

PROVERBIA

cordi tuo, prorogabunt enim vitam tibi,  
& pacem, felicitatemq; adferent. Misericordia & veritas non deserent te.

Suspende hæc à collo tuo inscribe tabulis cordis. Inuenies enim gratiam & felicitem prudentiam coram DEO & hominibus.

Δεκαλο-  
γὸς ἐξη-  
γησις.

PRIMUM.

Fide DEO toto corde,  
Et prudentiæ tuæ ne innitare.

I I.

Quacumq; ingredieris agnosce eum,  
Ita fiet, vt ipse regat gressus tuos.

I I I.

Agnosce  
esse DEI  
dona, quæ  
proveniunt  
nam id sig-  
nificatum  
est ritu of-  
ferendarum  
primitiarum  
Deut. 26.

Non confidas sapientiæ tuæ,  
Time DEVM & recede à malo. Id umbi-  
lico tuo salubre est, & rigat corpus.

I I I I.

Honorem habe DEO de substantia  
tua, & de primitiis omnium prouentuum  
tuorum: Ita fiet, vt horrea tua imple-  
antur ad facietatem usq; , & torcularia tua  
musto exundent.

V.

Castigationem DEI ne repudies, &  
ne stomacheris, cum corripuerit te.

Commenda-  
tio crucis. Quem enim diligit DEVS hunc ca-  
stigmat, eoque velut pater filio delectatur.

Beatus

## SALOMONIS

Beatus est, qui sapientiam inuenit, & qui consequitur intelligentiam. Melior est enim fructus eius, quàm argenti, & auro prouentus eius vberiores sunt, præstat gemmis, & preciosa omnia vincit, vitæ proregatio est ad dexteram eius, & ad sinistram diuitiæ & gloria, vita eius amabilis est & felix. Hæc lignum vitæ est, cuiuscumq; contingerit, & beatus est, quisquis eam nactus fuerit. **DEVS** sapientia fundauit terram, & condidit cælum intelligentia, & scientia eius abyssi deriuantur, & nubes terram repluunt.

Fili, huc defige oculos, ne successum & consiliū amittas. Hæc vitam animæ supeditant, & ori gratiam. Securus ambulabis in via, nec pes impingit. Dum dormies non terreberis. Quoties ieris cubitum suauiter dormies, nec metues subita mala, & impiorum tumultum **DEVS** enim iudicabit te, & custodiet pedem tuum, ne capiare.

## DE CHARITATE

### PRAECEPTA.

#### VI

Ne recusa benèfacere alijs, si à **DEO** suppetit tibi, vnde largiri possis.

#### VII.

Ne dic proximo tuo: Abi, redi, cras  
B dabi-

*Exclamatio Q. D. paucos esse, qui sentiunt, crucem vitalem esse proinde vocat beatos, qui ita sentiunt.*

*Vitam in ipsa etiam cruce promittit.*

*Præcepta charitatis.*

*Id est, Bis dat, qui cito dat.*

PROVERBIA

dabitur, cum modò possis gratificati.

V I I I.

Ne machinari proximo malum, quia  
abs te nihil metuit.

I X.

*Psalm: 36.*

Ne litiga frustra cum homine, qui te  
non læsit.

X.

Ne æmulare hominem iniustum, nec  
elige viam eius, Quia abominatur DEVS  
delatorem, & familiariter versatur cum re-  
ctis.

X I.

Domui impij maledicit DEVS, sed  
habitaculum justorum benedicetur.

Subfannatores subfannat, & humili-  
um miseretur.

Hæreditas sapientum gloria est,  
At exaltatio fatui ignominia est.

*Rursus in-  
stituit ad-  
hortationē  
subinde idē  
inculcans,  
& suo more  
rhetorica-  
tur.*

CAPVT IIII.

**A**Vdite Filij paternam castigationem,  
& adijcite animum ad cognoscendā  
intelligentiam: Doctrinam enim bonam  
vobis propono, legem meam ne relinqui-  
te. Fui & ego patris mei filius, & inter fi-  
lios

SALOMONIS.

lios matris tenerrimus & vnicus, docuit me, & dixit:

Si doctrinam meam amplexus fueris, & praecepta mea custodieris, viues. Compara sapientiam, compara intelligentiam. Ne obliuiscere, ne discede à sermone meo. Seruabit te, si non deserueris, custodiet te, si didexeris.

Præ omnibus fructibus sapientum compara sapientiam, & præter facultates tuas intelligentiam posside, Quod si eam magnificeris, te vicissim exaltabit. Si fueris eam amplexus, vicissim te glorificabit, & ornabit, & coronabit.

*Mundus fructus sapientiae. Vitam, successum, &c. Amat, sapientiam, non item.*

Audi fili, & sermonem meum accipe, vt prorogetur tibi vita. In semitam sapientiae, & in regiam viam deducam te, vbi iter faciens non angeris, nec rues, cum cures.

Perdura in castigatione, ne defatigeris, obserua eam, vitam enim adfert tibi. In semita impiorum ne versare, nec incede in via malorum, sed deuita eam. Nec per eam transeas, deflecte ab ea, & præteri. Neque enim dormire possunt, nisi malum aliquod facinus perpetrarint. Nec capiunt somnum, nisi ruinam fecerint. Visitant enim

## PROVERBIA

pane impiè quæsito, & vinum bibunt iniuste partum. Vita justorum sicut lux inclarescit, quæ subinde fit illustrior, ad medium usq; diem. Via impiorum ceu caligo est, nesciunt vbi ruant.

*Præcepta de sermone, oculis, & incessu.*  
Fili, Aduerte animum ad sermonem meum, ad sermones meos inclina aures tuas, in hunc defige oculos, adserua in corde tuo. Vitam enim adfert ijs, qui inuenerint eum, & est salubris omnibus. Summa cura custodi cor tuum, inde etiam vita egreditur.

*Os*  
Depone peruersos sermones, & blasphema labra remoue abs te.

*Oculi.*  
Ne passim vagentur oculi, Sed recta te præcurrant.

*Incessus.*  
Recta incede, & via tuæ rectæ sint. Nec declina ad dexteram, aut sinistram, deflechte à malo.

## CAPVT V.

**F**ili, Animaduerte Sapientiam meam, aures accommoda prudentiæ, vt obserues consilia, & custodias scientiam.

*De scortatione.*  
Stillans fauus est scortios, & mollius est



## SALOMONIS.

est, quam oleum collū eius. Verūm postrema amara sunt velut absynthium, & acuta ceu gladius, pedes eius ad mortem descendunt, & ad inferos properant gressus eius. Non recte incedit in vitæ semita, vagi sunt gressus eius, quos nec ipsa agnoscit.

Proinde Fili, ausculta mihi, nec à sermone meo discede, viam eius procul fugito nec accede ad fores aedium eius.

## DE PRODICALITATE.

Ne des alijs facultates tuas, & annuos proventus tuos ne effundas in crudeles, ne opibus tuis alieni ditescant, & pecunia tua in alienas aedes transferatur. Tandem enim gemes, vbi victum tuum contumpseris, ac dices: Cur odi castigationem, & increpationem subsannaui, nec magistris auscultaui, nec aures præbui ijs, qui meliora docebant? Penè me obruerunt omnia mala, cū in conciliabulis hominum versarer

*Prodigalitas etiam verba DEI damnatur. Crudeles vocat, qui simulant amicitiam sui commodi gratia.*

## DE VSV RERVM

### PROPRIARVM.

Bibe aquam è fontibus tuis, & tui fontis riuulos bibe. Fontes tui foras deriuentur

*Ita admistres rem familiarem*

PROVERBIA.

vt & con- tur, & riuus promanent in plateas. At tu do-  
serues, & minus esto horum solus, non alieni tecum.  
cum alijs Benedicentur enim fontes tui.

communi-  
ces, vt in  
epistola

Paulus do-  
cet.

DE CONIUGIO.

Exhilaret te vxor, quam adolescens  
ducis, ceu jucunda cerua, & venustus hin-  
nulus. Illius te amor perpetuo exaturet,  
& amore eius semper fructe.

DE SCORTATIONE.

Cur seduceris, Fili mi, a scorto, & ali-  
enam amplecteris mulierem? Non procul  
oculis DEI sunt viae hominum, is omnes  
eorum semitas considerat. Sua ipsius im-  
probitate impius capitur, & suis laqueis ir-  
retitur. Morietur cum non sit castigatus,  
critque ei exitio integra stultitia.

Sponde no-  
xa praesto  
est, iubet  
autem tum  
diffidere,  
Tum res  
proprias  
conseruare.

CAPVT VI.

**F**ili, Si pro altero sponderis, obstrin-  
xisti fide tuam, irretitus es tuis verbis,  
captus tuo sermone. Proinde fac, vt ex-  
pedias te, posteaquam in manum proximi  
incidisti, vade, curre, insta proximo tuo,

ne

## SALOMONIS

ne concedas somnum oculis, neque obdormiant palpebrae. Euade velut e manibus venatoris caprea solet, aut auicula e manibus aucupis.

## DE LABORE.

Abi piger ad formicam, cuius contemplate morem, ut sapiens fias. Illa tamen sine nec principem, nec praefectum, nec ducem habeat, tamen aestate cibum parat, & colligit in messe alimentum. Quamdiu piger dormies? Ecquando a somno pergas? Paulummodo, inquis, dormitabo, paulummodo somno vacabo, paulummodo conferam manus, & componam me ad recumbendum. At interea ceu viator veniet inopia, & obruet te paupertas ceu latro.

## DE CONTENTIONVM

### AUTORIBVS.

Nihil homo, vir iniquus, ore peruerso incedit. Fingit vultum ac incessum, digitis gesticulatur, peruerso corde malum semper molitur, & contentionum autor est. Proinde mox obruetur calamitate, contereturque, neque quisquam ei mederi poterit.

B 4

Hac

## PROVERBIA.

Hæc sex odit D E V S, septimum eti-  
am planè abominatur:

Superbos oculos.

Mendacem linguam.

Manus quæ innocentem sanguinem  
fundunt.

Cor iniqua consilia machinans.

Pedes, qui properant ad mala.

Testem mendacem.

Autorem dissensionis inter fratres.

## DE ADULTERIO

Fili, præcepta patris observa, & legem  
matris ne reiicias, alliga ea cordi tuo, &  
adnecte gutturi. Cùm ambulaueris ducent  
te, cùm dormies excubabunt super te, & cū  
surges eloquere ea. Est enim præceptum  
lucerna, & lex lumen, & vitam increpatio  
& castigatio Memineris præcare, & à blan-  
da lingua scorti. Ne pulchritudine eius in-  
flammeris, ne uè capiant te oculi eius. Ca-  
ptat enim scortum frustum panis, Adulte-  
ra vitæ etiam insidiatur.

*Contagio* Vt fieri nequit, qui adurat vestem, quis-  
*mali* quis ignem sinu fouerit, & pedes haud du-  
biè læterit, quisquis supra carbones incesse-  
rit: Ita quisquis ad alterius vxorem accef-  
ferit, quisquis attigerit, feret infortunium.

Non

## SALOMONIS.

Non est probro furi, cum esuriens furatur, ut vitam sustinet. Nam deprehensus vel septuplum, aut rem familiarem suam uniuersam rependerit. At stulti cum mœchantur, vitam amittunt, plagam & dedecus auferunt, nec ignominiam uaquã abolere possunt. Nam apud virum cum zelotypia utitur, non est veniæ locus, sicubi vicisci datur, non ignoscet, ut maximè placere coneris, nec muneribus, quamuis multa offeras, flecti se patitur,

*A iudicio  
Dei grauius  
quam fures  
multari  
mœchos.*

## CAPVT VII.

### DE ADULTERIO.

**F**ILI, Sermonem meum serua, & præcepta mea manda memoriæ. Quod si seruaueris præcepta mea, & legem meam velut oculorum pupillas, vita tibi contingit, age, suspende eam digitis tuis, inscribe tabulis cordis tui. Complectere sapientiam tanquam sororem, & intelligentiam tanquã amicam, ut custodiant te ab aliena muliere, à scorto, quod blanditijs tibi insidiatur. Equidem cum per fenestram ædium mearum per cancellos prospicerem, vidi inter imperitos adolescentes stultum, crepusculo transeuntem in platea ad angu-

PROVERBIA

portum, non procul à scortiædibus, ecce  
 ibi occurrit ei mulier meretricæo habitu,  
 fraudulenta, clamosa, malè morata, cuius  
 pedes domi nunquam quiescunt, & quæ in-  
 sidias struere solet, domi. foris, in vicis o-  
 mnibus. Hæc amplexa iuuenem, dissuade-  
 atur impudenter, & inquit. Sacrum hodiè  
 feci, quare prodij, vt quærerem te, ac oc-  
 curretem tibi, benè cessit, inueni te, lectum  
 ornavi variè, & constravi à Egyptijs tape-  
 tis, frondibus, myrrha, alöe, & cinnamo-  
 mo, ades, amori indulgebimus in crasti-  
 num, vsque amore nos exhilarabimus. Neq̃  
 enim domi maritus est, sed procul abiit, ac  
 cepto secùm viatico, nec certum est, quando  
 sit rediturus. Iuuenis multis illæcebris &  
 blanditijs expugnatus, ac perpulsus sequi-  
 tur, & ceu ad lanienam bos, ac velut com-  
 pedibus iniectis, quibus fatui vincti coër-  
 centur, pergit, donec telo jecur ictum finda-  
 tur, & perinde atque avis ad laqueum pro-  
 perat, ignorans se insidijs excipi.

Proindè, Filij, audite me, & ani-  
 maduertite verba mea. Ne expatiatur  
 ad vias eius cor tuum, nequè ingrediare  
 semitis eius. Multos enim fauciauit ac  
 stravit, & omnes fortes jugulavit. Domus  
 eius

SALOMONIS.

eius viæ inferorum sunt, isthac ad mortem iter est.

CAPVT VII.

πρωτρεπικὸς λόγος.

**N**onnè Sapiencia clamitat, & intelli- *Rursus in-*  
gentia adit vocem? In summis ver- *stituit ad-*  
ticibus, in via inter semitas stans juxta por- *hortatione,*  
tas ciuitatis in foribus clamitat: Vos voco *subinde ca-*  
viri, mea vox ad filios Adam, intelligite *dem inge-*  
imperiti astutiam, & fatui respiscite. Au- *minans.*  
dite, loquar enim conspicua, & aperiam la-  
bia, vt recta doceam. Quia veritatem lo-  
quetur guttur meum, & abominatur labia *Verbum*  
mea impium. Iusti sunt omnes sermones *Dei conspi-*  
oris mei. Non est in eis peruersum ac sub- *cuum & ob*  
uersio. Plani sunt prudentibus, & recti sci- *oculos esse*  
entiam sectantibus. Accipe castigatio- *debet omni-*  
nem meam præ argento, & scientiam præ *bus, vt Deu-*  
auro electo. Quia melior est sapientia mar- *6. manda-*  
garitis, & omnia iucunda non possunt ei *tum est.*  
conferri.

Ego sapientia adiungo mihi astutiam, & scientiam consilij.

Timor DEI odium est mali, super-  
biam

, ecce  
bitu,  
cuius  
uæ in-  
cis o-  
uade  
hodie  
oc-  
etum  
ape-  
amo-  
asti-  
Neq;  
t, ac  
ando  
ris &  
qui-  
om-  
oer-  
nda  
pro-  
ani-  
etur  
iare  
ac  
nus  
cius



PROVERBIA

biam & arrogantiam, & viam malam, & os peruersum odi.

Penes me consilium & successus est, Ego intelligentia sum, penes me est potentia. Per me Reges regnant, & Principes constituunt iusta. Per me domini dominantur, & regnant omnes iudices terræ.

Ego diligentes me diligo, & quærentes me. Diuitiæ & gloria penes me. Opes duraturæ & iustitia. Melior est fructus meus auro & obrizo, & prouentus meus argento electio. In viam iustam duco, & in semitas iudicij, vt rectè ditem diligentes me, & thesauros eorum cumulem.

Dominus possedit me ab initio vitæ suæ, ante opera eius eram. Ab æterno ordinata sum, ab initio antè eram. Nondum abyssi erant, cum formarer. Nondum fontes aquis redundabant. Priusquam montes submersi sunt aquis, & ante colles formata sum. Nondum fecerat terram, & fines eius, vertices puluerum orbis. Cum cœlum erigeret, ibi ego eram. Cum circum constituerat abyssum, cum nubes desuper formaret. Cum fontes abyssi conderet, cum poneret mari terminum, & aquis, ne prætergrediantur locum suum.

Cum

*Verbi potentiam creatione probat.*



## SALOMONIS.

Cum constitueret fundamenta terræ,  
aderam adiuuabamq̄. Sum in delitijs eius  
quotidiè. Ludo coram eo semper. Ludo  
in orbe terræ eius, & delecto filios homi-  
nis.

Nunc itaq̄ filij audite me: Beati qui  
vias meas obseruant. Audite castigatio-  
nem, & sapite, & ne negligite. Beatus qui  
audit me, & ad vigilat ad fores meas quoti-  
diè, ad obseruanda limina januæ meæ. Vi-  
tam enim inuenit, quisquis me inuenit, &  
hauriet voluptatem à Domino. Qui peccâ-  
rit in me, iniurius est animæ suæ. Quisquis  
odit me, mortem diligit.

## CAPVT IX.

**S**apientia ædificauit domum suam, do-  
lauit innumeras columnas, mactauit  
victimas, & fudit vinum, & instruxit men-  
sam suam. Misit puellas suas vocatum ad  
arcem excelsam ciuitatis. Imperiti huc de-  
clinent. Et stultus dixit: Venite, comedite  
panem meum, & bibite vinum, quod miscui  
vobis.

Si reliqueritis imperitiam, vitam con-  
tinget vobis, & ingrediemini vitam intelli-  
gentiæ.

Qui

PROVERBIA

Qui castigat subsannatorem, ignominia adficietur.

Et corripiens impium contaminabitur.

Conuenit  
cū senten-  
tia Christi,  
Ne detis  
quod san-  
ctum est  
canibus.

Ne corripes subsannatorem, ne oderit te.

Si corripueris sapientem, diliget te.

Da sapienti, & sapientior erit.

Si docueris iustum, cordatior erit.

Initium sapientiæ timor DOMINI,  
& intelligentia est sancta cognoscere.

Nam per me vita prorogatur, & augmentur  
anni vitæ.

Si sapueris, tibi sapuisti, & si subsanna-  
ueris, tu feres.

Mulier fatua, clamosa, blanda & igna-  
ua, sedet in foribus domus suæ, in cella ex-  
celsa vrbis, vocat prætereuntes, & qui recta  
via incedunt. Imperiti huc declinent. Est  
stultis ait: Aquæ furtiæ dulces sunt, &  
panis clandestinus iucundus est. Nescit  
quod mortui tibi sint, & in profundo infer-  
no conuiuæ eius.

FINIS ADHORTATIONVM,  
quas proœmij vice operi præposuit.

CA-

SALOMONIS  
CAPVT X.

I.

Sapiens filius gaudio patrem adficit,  
At stultus filius matrem adfligit.

Hic primò  
incipit te-  
nere cata-  
logum sen-  
tentiarum.

I I.

Non profunt thesauri impio,  
Iustitia verò liberat à morte.

I I I.

Non perdet Dominus fame animam  
iusti.  
Improba consilia impiorum perdet.

Promittit  
bona pijs.

I I I I.

Egestatem adfert manus ociosa,  
Sed manus sedulorum ditat.

Præcipit  
laborem.

V.

Qui colligit in æstate prudens est,  
Qui dormit in messe confunditur.

V I.

Benedicetur capiti iusti,  
At impios iniuria ab ipsis concepta obruet

Promittit  
bona pijs.

V I I.

Memoriæ iusti benedicetur,  
Sed impiorum nomen fordebit.

V I I I.

Sapiens corde accipiet præcepta,  
At stultum os vapulabit.

Securò

PROVERBIA.

*Non est  
pax impijs  
Ni caueris*      *Securè ambulat probus,  
Et qui vias suas peruertit, deprehendetur.*

*Hypocrita  
fallit te.*      *x.  
Fingens vultum damnum dabit,  
Stultum os vapulabit.*

*x i.  
Vena vitæ os iusti,  
Os impiorum iniuria obruet.*

*Noris non  
oderis.*      *x i i.  
Odium excitat contentiones,  
Et omnia delicta tegit charitas.*

*Warren  
soll man  
mit Holz  
ben lausen*      *x i i i.  
In labijs sapientis inuenitur sapientia,  
Et virga in tergo stulti.*

*x i i i i.  
Sapientes scientiam seruant,  
Os stulti accersit sibi perniciem.*

*Gut man  
chet muth  
πλατ*      *x v.  
Opes diuiti sunt arcis vice,  
Inopia verò pauperi animum minuit.*

*ιβριν  
ἵκτε*      *x v i.  
Opus iusti adfert vitam,  
Prouentus impij peccatum.*

*Impiorum  
consilia nõ  
sucedunt.  
Crucem cõ-  
mendat.*      *x v i i.  
Perferre castigationem ad vitam con-  
ducit.  
Et deserens increpationem errabit.*

Disi-

SALOMONIS.

XVII.

Dissimulant odium mendaces,  
Stulti conuitium faciunt.

ἀκλινοῦ  
σομάτων  
ἀναμοντε

XIX.

Garrulus non vitat peccatum,  
Prudens est, qui labia sua frenat.

ἀφροση-  
νης ἑλεῖ  
δησυχία.

XX.

Lingua iusta est præcipuum argentum,  
Cor impium nihil est.

XXI.

Labia iusta multos pascunt,  
At stultis exitio est stultitia.

Promittit  
bona pijs.

XXII.

Benedictio Domini diuites facit citra  
molestiam.

Impij ri-  
dent iudi-  
cium Dei.

XXIII.

Cùm scelus perpetrat stultus, ridet,  
Id verò animaduvertere sapientia est.

XXIV.

Accident impijs, quæ metuunt,  
Iustis contingent, quæ desiderant.

XXV.

Impius ceu tempestas præterit,  
At iusti fundamentum perpetuum est.

Plautus:  
Fames &  
mora cient  
bilem in  
naribus.

XXVI.

Ceu acetum dentes, & fumus oculos,  
lædit,  
Sic plger eos, qui miserum eum, cruciat.

C

Timor

PROVERBIA

XXVII

Timor Domini prorogat vitam,  
Et anni impiorum breues sunt.

XXVIII

Iustis lata manent,  
Et spes impiorum perit.

XXIX

Via Domini addit animum probis,  
Frangit animos malis improbitas.

XXX

Iustus perpetuo non euertetur,  
Et impij non erunt superstites in terra.

XXXI

Os iusti propugnabit scientiam,  
At lingua peruersa perit.

XXXII

Labia iusti meditantur bona,  
Sed os impiorum peruersa meditatur.

CAPVT IX.

PRIMUM.

Et contumeliosi sunt  
superbi, &  
vicissim contemnentur.

**L**ibram iniustā abominatur Dominus,  
At pondus iustum delectat eum.

I I.

Superbiæ comes est contumelia,  
Sed apud modestos est sapientia.

In.

SALOMONIS

I I I.

Integritas rectorum deducit eos,  
Exitio est impijs deflectere à jure.

ἢ δὲ κακῆ  
βελή τῶ  
εὐλεύσων  
ἵκακίση

I I I I.

Non profunt diuitiæ in die iræ,  
At justitia liberat à morte.

V

Iustitia integri dirigit vitam suam,  
At in impietate sua cadit impius.

Alter a ma-  
nu lapidem  
altera pa-  
nem Nec  
viribus, nec  
consilijs no-  
stris, sed be-  
nedictione  
diuina ser-  
uanda Re-  
publica.

V I.

Iustitia rectos liberat,  
Et in improbitate sua capiuntur scelerati.

V I I.

In morte hominis impij perit spes,  
Et expectatio impiorum perditio est.

V I I I.

Iustus eripitur ex aduersitate,  
Et pro eo perit impius.

I X.

Ore simulator euertit proximum suum,  
Sed iusti deprehendunt, ac liberantur.

X.

Cùm florent iusti gaudet ciuitas,  
Et in perditione impiorum latatur.

X I.

Benedictione rectorum fortunatur  
ciuitas,  
At impiorum consilijs euertitur.

C 2

Qui

PROVERBIA

Qui famam proximi lædit, stultus est,  
At vir intelligens tegit probra.

X I I I.

*Vis nõ ser-  
uat Respub.  
Sed consiliũ*

Sufurro revelat arcanum,  
At qui fideli animo est rem tegit,

X I I I I.

*πολιτεία  
Et quod ait  
multi con-  
sultores.*

Sine gubernatione corruiit populus,  
Salutem adferunt multi consultores.

X V.

Malè adfligitur, qui sponderit pro  
alio,

*Propertius  
Ampla satis  
forma pu-  
dicitia.*

Et qui vitat stipulationes, securus est.

X V I.

Mulier quæ honorem tuetur, gratiosa est,  
Fortes sunt, quæ diuitias augent.

X V I I.

*Verum ami-  
ci officium.*

Beneficus suũ ipsius genium defraudat,  
Crudelis propinquo damnũ etiam dat.

X V I I I.

Impius opus facit irritum,  
At qui iusta serit mercedem perpetuã con-  
sequetur.

X I X.

Iustitia conducit ad vitam,  
At qui sequitur malitiam mortem accersit.

X X.

Abominatur Dominus cor peruersum,  
Et placent ei probi.

Mali



SALOMONIS.

X X I

Mali vtut inter se conspirarint, non  
elabentur, Semen iustum euadit.

X X I I.

Mulier formosa, quæ immodesta, non  
dissimilis est porco naribus aureum tor- *Ampla satis  
forma &c.*  
quem gerenti.

X X I I I.

Desiderium iustorum placet D E O,  
Sed expectationi impiorum succenset Deo

X X I I I I.

Quidã largiuntur, & tamen ditescunt, *Liberalibus  
benedicit  
Deus.*  
Quidam parci, quanquam magnas opes  
habuerint, subinde pauperiores fiunt.

X X V.

Qui liberaliter benedicit, impugnatur  
Qui inebriat inebriatur.

X X V I.

Qui non communicat frumenta, ei *Facite vo-  
bis amicos  
de mam-  
mona.*  
maledicetur in populo.  
At benedicetur vendenti.

X X V I I.

Bona eueniunt bona consecretantibus,  
Mala accidunt mala quarentibus.

X X V I I I.

Qui confidunt in diuitijs suis corruent,  
Et iusti teu folium virebunt.

X X I X.

C 3

Verba

PROVERBIA.

*Discordia  
summæ res  
dilabuntur.* Qui perturbat domum suam, ventos  
accersit,  
Et stultus sapienti seruiet.

*Nihil meli-  
us clemen-  
tia.* XXX.  
Fructus iusti est lignum vitæ,  
Et capit animas sapiens.

*Cum iusti  
affliguntur  
haud dubie  
non ignosce-  
tur impijs.* XXXI.  
Cum iustus in terra persoluat,  
Quantò magis impius & peccator.

CAPVT XVI.

PRIMUM.

*Crucis cõ-  
mendatio.* QUI diligit castigationem prudentior  
erit,  
At qui odit disciplinam, stultus est.

*Tametsi  
eoram mun-  
do patriatur  
Deus tamẽ  
consolatur.* II.  
Bonus haurit voluptatem à DEO,  
Sed vir scelestus damnabitur.

*Mulierem  
decet esse  
quæpov  
& custodẽ  
rei fami-  
liaris.* III.  
Impietas nulli prodest,  
At justorum radix non commouebitur.

*Mulier sedula corona est viri,  
At illaudata mulier tabe facit ossa.* V.  
Cogitationes justorum iudicia sunt  
Industria impiorum fraus est.

Verba

SALOMONIS.

Verba impiorum insidiantur sanguini,  
At os justorum liberat.

V I I.

Euertentur impij, & non erunt,  
At justorum domus durabit.

V I I I.

Propter prudentiam suam laudabi-  
tur vir,  
At iniquus pudefiet.

X I.

Homo abiectus, qui suum officium fa-  
cit, præstat glorioso, qui pane indiget.

X.

Agnoscit justus jumentorum suorum  
animas, At cor impiorum crudele est.

X I.

Qui agrum suum colit, satur erit panū,  
At qui sectatur ocium stultus est.

X I I.

Exitium venantur impij, quicquid  
desiderant.  
At justorum radix verax est.

X I I I.

Brauis labijs capitur malus,  
Sed euadit ex aduersitate justus.

X I I I I.

Ex fructu oris quilibet saturabitur homo  
Et retribuetur homini iuxta opera sua.

X V.

C 4

Via

ἐπ' ἄρτους  
ἐλαχέσ  
πρωτῶν  
κόσμου.

Nulla re  
abutilur  
iustus.

ἐπ' ἄρτους  
ἐλαχέσ:  
ἡ δὲ κακὴ  
βελήδης.

entos

antior

E O,

unt

erba



PROVERBIA.

Via stulti recta est in oculis suis,  
A sapiens consilium audit.

X V I.

Stultus statim prodit iram suam,  
At dissimulat iniuriam callidus.

X V I I.

Veraces justitiam palam faciunt,  
Mendax testis fallit.

X V I I I.

*Plures ne-  
cat lingua,  
q̄ gladius.* Temerè loqui perinde est, ac gladio  
fodere,  
At sapientum lingua salubris est.

X I X.

*Mendacem  
oportet me-  
morem esse,* Verax labium firmum est semper,  
Et mox variat mendax lingua.

X X.

*ἢ δὲ κακὴ  
βελή&c.* Qui machinantur mala frustrantur,  
Et gaudium comitator eos, qui paci consu-  
lunt:

X X I.

Non accidet justo dolor,  
At impij obruentur malo.

X X I I.

*Metiri se  
queng, suo  
modulo ac  
pede verum  
est.* Abominatur Dominus mendacia labia,  
At veraces placent ei.

X X I I I.

Non ostentat homo callidus scientiam  
At cor stultorum prædicat stultitiam.

X X I I I I.

Sedula

SALOMONIS

Sedula manus dominabitur,  
Ociosas verò sub tributo erit.

X X V.

Sollicitudo animum cruciat,  
Bonum verbum exhilarat.

X X V I.

Iustus felicior est proximo suo,  
At via impiorum ipsis exitio est.

X X V I I.

Negotiatio ociosi non est felix,  
At seduli ditescunt.

X X V I I I.

In semita iustitiæ vita est,  
Et in via plana non est mors.

CAPVT XIII.

PRIMUM.

Filius sapiens eruditionem paternam  
sustinet,  
At subsannator non audit increpationem.

I I.

De fructu oris vir bonus adficietur,  
Et anima contemptoris malis adficietur.

I I I.

Qui custodit os suum, custodit vitam suam  
At qui temerè aperit labia sua terrebitur.

C s

Cupit

*Prædicatur  
labor ac di-  
ligentia.*

*Euangelio  
eriguntur  
conscientiæ  
Successus à  
Deo est.*

*Diligentiã  
præcipit.*

PROVERBIA

IIII.

Diligentiā  
præcipit:  
Impiis volu-  
ptas est ali-  
enam famā  
ludere.

Cupit piger, & eget,  
Anima sedulorum saginabitur.

v.

Mendacium odit justus,  
At impius confundit & maledicit.

VI.

Iustitia seruat probos,  
Et impietas deflectit ad peccandum.

VII.

Benedictio  
domini for-  
tunat opes.  
Sicut machet  
Muth.

Diuites quidam sunt, tametsi nihil ha-  
beant,

Gloria iu-  
storum est  
felix. Con-  
sulti inter  
se cedunt,  
condonant  
vt pacem  
seruent.

Pauperes alij sunt, tametsi magnas  
opes habeant.

VIII.

Redimitur vita diuitijs,  
Et egenus non perfert increpationem.

IX.

Lux justorum gaudium adfert,  
At lucerna impiorum extinguetur.

X.

Parsimonia  
magnum  
vecligal.

Prorsus inter superbos est contentio,  
Et apud consultos sapientia est.

XI.

Etiam ce-  
leritas in  
desiderio  
mora est.

Opes prodigalitate minuuntur,  
Et parsimonia augetur.

XII.

Expectatio dilata cruciat, Et lignum  
vitæ est, si præsto adsit, quod cupis.

Qui

SALOMONIS.

X I I I.

Qui contemnit verbum, male habebit  
Qui timet mandatum, pace fructur.

Prudentia  
non est fe-  
lix, nisi for-  
tunet Deus,

X I I I I.

Institutio sapientis fons vitæ est ad vi-  
tandos laqueos mortis.

sicut est cer-  
nere in A-  
hitophel De  
mosthene,

X V.

Felix prudentia jucunda est,  
At via contemnentium aspera est.

Cicerone.

X V I.

Omnia facit callidus cum iudicio,  
Fatuus stultitiam prodit.

Temerè  
pergunt fa-  
tui, iuxta

X V I I.

Nuncius impius conijciet in mala,  
Legatus verax salubris est.

paræmiam  
germanicã:

X V I I I.

Egestas & ignominia penes eum sunt,  
qui castigationem negligit,

Der Haspel  
mus in den  
Sack.

At qui obseruat increpationes, hono-  
re afficietur.

Oderunt  
crucem im-  
pÿ.

X I X.

Præsens voluptas delectat animum,  
Et abominantur fatui declinantes à malo.

X X.

Qui cum sapientibus versatur, sapiens  
erit,

Talis vnus-  
quisq; qua-  
lium vitu-  
um  
Qui  
consuetu-  
dine

At stultorum socius malè habebit.

X X I.

Peccatoribus mala impendent.

Et

PROVERBIA

Et iustis reddetur bonum.

XXII.

*Psalm. 36.* Boni heredes relinquent filios filiorum,  
Et reponuntur iustis opes peccatorum.

XXIII.

*Benedictio  
DEI for-  
tunat.* Multum esca est in sulcis pauperum,  
Qui verò amat eum, querit vt erudiatur.

XXIII.

*Pædagogi-  
am præci-  
pit.* Qui abstinet a virga odit filium suum,  
Qui verò amat eum, querit vt erudiatur.

XXV.

*τῶ φαρὸν  
ἐν θείῳ* Iustus comedit & fit satur,  
Venter impiorum eget.

CAPVT XIII.

I.

**S**apiens mulier ædificat domum suam,  
Stulta verò euertit eam.

II.

Qui timet Deum rectè ambulat,  
Qui contemnit eum, è via eius discedit.

III.

In ore stulti superba est virga,  
Et labia sapientum obseruat.

*Autoritatem sibi arrogant stulti, vt in Pontificijs  
Decretis apparet.*

III.

Vbi



SALOMONIS

Vbi non sunt boues præsepe vacuum Labor præ-  
est, Sed multi proventus obueniunt per cipitur.  
robustum bouem.

v.

Testis verax non mentitur,  
Mendaces confitenter mentiuntur.

Contem-  
nunt iudi-  
cium dei.

v i.

Quærit subsannator sapientiam, & non  
Et scientia cordato facilis. ( inuenit,

Subsanna-  
tores con-  
temnunt sa-  
pientiam

v i i.

Si incideris in stultum, non deprehen-  
des labia scientiæ,  
Id est, Imperito nunq̃ quicq̃ iniustius.

Dei, ided  
dementan-  
tur.

v i i i.

Sapientia callidi est viam suam obser-  
uare, At stultitia fatuos fallit.

Esaia 28.  
Domi sapi-  
endum, non  
foris.

i x.

Stultus subsannat delictum,  
Et recti placent.

x.

Dum cor angitur, non capitur solatijs  
quæ extrinsecus adhibentur.

Perturbato  
cordi nihil  
est iucun-  
dum.

x i.

Domus impiorum euertetur,  
Sed tabernacula rectorum florebut.

Fallitur  
caro sua in-  
stuita, &  
Sapientia.

x i i'

Plerisq̃ videtur via recta, cuius exitus  
est via mortis.

x i i i.

Etiam

PROVERBIA

*Humana  
solatia pe-  
reunt.*

Etiam in risu dolet cor,  
Et finis risus est calamitas.

X I I I I.

*Præcipit  
vt malos  
doctores  
vitemus.*

Dabunt pœnas reprobis,  
Et conculcabunt eos probi.

X V.

*Qui non  
moderabi-  
tur iræ, in-  
fectum, vo-  
let esse do-  
lor, quod  
suaserit.*

Imperitus credit omnia,  
At callidus animadvertit gressus suos.

X V I.

Sapiens timeret, & discedit à malo,  
At stultus pergit confidenter.

X V I I.

*Imperito  
nunquam  
quicquam  
iniustius.  
Iusti impe-  
rabant im-  
pys, iudi-  
cabunt impi-  
os, tametsi  
aliquanti-  
sper oppri-  
mantur.*

Impatiens ire designat stultitiam,  
At cautus odit stultitiam.

X V I I I.

Penes imperitos stultitia est,  
Sed callidi coronantur scientia.

X I X.

Curvabuntur mali in conspectu bo-  
norum,

Et impij ad portas justorum erunt.

X X.

Etiam proximo suo odio est pauper,  
Et multi fiunt diuitum amici.

Donec eris felix multos numerabis amicos.

X X I

Contemnit proximum suum peccator,  
Et beatus erit, qui miseretur calamitosi.

Nonne

PROVERBIA.

XXII.

Nonne frustrantur, qui machinantur  
malum?

Pollicetur  
bona pijs.

At benignè & fideliter agetur cum bonis.

XXIII.

Labor abundantiam adfert,  
Vbi verbis res geritur, inopia est.

Laborem  
præcipit.

*Wiel geschrey wenig worten.*

Hypocritæ magna de se pollicentur.

XXIII.

Diuitiæ sunt ornamento prudentibus,  
Stultis nihil nisi stultitia est.

Stultitiam  
patiuntur  
opes.

XXV.

Verax testis liberat animas,  
Et mendax decipit.

Verè iudi-  
care salutè  
Rebus publ.

XXVI.

Timor Dei tutum monumentum est,  
Et timentes Deum benè habebunt.

Pijs bona  
promittit.

XXVII.

Timor Dei fons vitæ est, ad vitan-  
dos laqueos mortis.

XXVIII.

Frequentia populi Regem decorat,  
Et formidat, qui paucis est stipatus.

Ornamento  
est principi  
concordiæ  
populi.

XXIX.

Patiens multa intelligit,  
Iracundus prodit stultiam.

Invidus al-  
terius rebus  
marcessit  
opinis.

XXX.

Hilaris animus vita est,  
Et tabefacit ossa invidia.

Qui

PROVERBIA

Deus aut or  
est pauper-  
tatis.

X X X I.

Qui pauperem calumniatur, conuici-  
um facit eius factori,  
Et honorat D E V M, quisquis mise-  
retur pauperis.

X X X I I.

Succumbit in calamitate impius,  
Et sperat etiam in morte justus.

X X X I I I.

In animo cordati versatur sapientia,  
Et inter stultos innorescet.

η δε κακη  
βαλη & c.

Tandem fit, & stulti conuincantur, sicut Iudaei  
resurrectione Christi conuicti sunt.

X X X I I I I.

Iustitia exaltat gentem,  
Perdit populum peccatum.

X X X V.

Placet Regi seruus prudens,  
Et succenset turpi.

CAPVT XV.

PRIMVM.

Comitate  
vincendi  
sunt morosi

M Ollis responsio mitigat iram,  
Sermo asper prouocat iram.

I I.

Lingua sapientis facit acceptam scientiam,  
Os stulti effutit stultitiam.

In



SALOMONIS

III.

In omni loco oculi Dei contemplan-  
tur bonos & malos.

*Et in secun-  
dis & aduer-  
sis rebus spe-  
clanda Dei  
voluntas.*

IIII.

Salubris lingua lignum vitæ est,  
Et fallax lingua perturbat animum.  
*Plures necat lingua, quàm gladius.*

V.

Stultus calumniatur paternam casti-  
gationem,  
At obseruans increpationes callidior fit.

*Stulti sunt  
qui corripè  
nolunt.*

VI.

In domo iusti multi thesauri sunt,  
At prouentus impij perditio est.

VII.

Labia sapientum ferunt scientiam,  
Non autem cor stultorum.

VIII.

Sacrificia impiorum abominatur Do-  
minus, & oratio rectorum placet ei.

*Hypocrita-  
rum sacrifi-  
cia damnat  
vt Psal 49.*

IX.

Abominatio est Domino via impij,  
Et sectantem justitiam diligit.

X.

Eruditio mala est semitam deserere,  
Et qui odit increpationes moritur.

XI.

Cum infernus & perditio Deo pateant,  
Quantū magis corda hominum ei patent?

D

Non

PROVERBIA

Non ferunt  
impj casti-  
gationem.

X I I.

Non diligit subsannator corripientem se,  
Ad sapientes non accedit.

Personæ  
imponunt  
nobis, & au-  
thoritate  
magnorum  
sæpe impiè  
mouemur.

X I I I.

Lætus animus exhilarat vultum,  
Et in mœrore cordis spiritus debilitatur.

Molesta  
mala con-  
scientia,  
quæ facit  
vt nihil re-  
ctè succedat

X I I I I.

Cor intelligens quærit scientiam,  
Facies stultorum stultitiam pascit.

X V.

Misera est vita afflictorum,  
Et hilare cor conuiuium perpetuum est.

Si conscientia sit mala, nihil rectè succedit, vt Saul.

X V I.

Melius est modicum cum timore Dei,  
quàm thesaurus ingens cum molestia.

X V I I.

Præstat paucillum clusculi citra mo-  
lestiam.

Quàm saginatus taurus cum molestia.

Vincuntur  
mansuetu-  
dine ira-  
cundi.

X V I I I.

Vir iracundus excitat contentionem,  
At patiens sedat contentionem.

X I X.

Via pigri obrita sentibus est,  
At semita bonorum plana est.

Damnãtur  
hi, qui non  
faciunt offi-  
cium suum.

X X.

Filius sapiens exhilarat patrem,

SALOMONIS.

At stulti pudet matrem.

X X I.

Stultitia fatuo voluptas est,  
Cordatus homo dirigit viam suam.

Caro probat sua consilia.

X X I I.

Frustrantur cogitationes, in quibus non est consilium,  
Et multitudine consiliorum firmæ erunt.

infelix temeritas.

X X I I I.

Appositè respondere voluptatem adfert,  
Et sermo oportunus optimus est.

In tempore doceri, moneri, saluberrimū est.

X X I I I I.

Semita vitæ sursum fert,  
Ut doceat vitare infernum deorsum situm.

Ad Colos. 3.

X X V.

Domum superborum diruit D E V S,  
Et erigit limitem viduæ.

Quæ sursum sunt quarite.

X X V I.

Abominatur D E V S consilia prava,  
Mundorum consilia probat.

Superbis resisti Deus.

X X V I I.

Perturbat domum suam auarus,  
Et qui odit munera viuet.

η δὲ κακῆ βελήθη.

X X V I I I.

Cor iusti meditatur quid respondeat,  
Os impiorum temerè effutit prava.

X X I X.

D 2

Pro.

PROVERBIA.

*Euangeli-  
um vitam  
adfert.*

Procul est Dominus ab impijs,  
Et preces justorum exaudit.

X X X.

Serenus vultus exhilarat cor,  
Fama bona saginat ossa.

*Sapientes  
ferunt ca-  
stigantem.*

Auris audiens increpationem viuifi-  
cam inter sapientes morabitur.

X X X I.

Qui negligit castigationem asperna-  
tur vitam suam,

*Docet quid* Audiens increpationem sapiens erit.

*vocet sapi-  
entiam, nō  
humana cō-  
silia, sed ti-  
morem Dei*

Audiens increpationem sapiens erit.  
Timor Dei est castigatio, quæ sapien-  
tiam consequimur,  
Et gloriam præcedit deiectio.

X X X I I I.

CAPVT XVI.

*Deus facit  
omnia iux-  
ta consilia  
voluntatis  
sue, ad E-  
pheseos.*

PRIMUM.

**H**omo instituit in animo,  
Verum à Domino sermo linguæ est.

I I.

Hominibus suæ viæ mundæ videntur,  
At Deus dijudicat spiritus.

I I I.

Si



SALOMONIS.

Si commiseris Domino opera tua con Psalm 36.  
filia tua fortunabuntur.

IIII.

Omnia facit Dominus propter se,  
Etiam impium ad diem malum.

v.

Abominatur Dominus omnes superbos  
Non elabentur vtut inter se conspirent.

Hypocrisis,  
humana sa-  
tisfactiones  
nō placant  
Deum, sed  
verum cor.

VI.

Benignitate & fide expiatur iniquitas,  
Et timore Domini declinatur à malo.

VII.

Cum placent Domino viæ hominis,  
Etiam inimicos eius reconciliat ei.

VIII.

Melius est parùm cum iustitia,  
Quàm magni reditus malè parti.

Malè par-  
tum, malè  
disperit.

IX.

Cor hominis deliberat de via sua,  
Dominus verò promouet gressus suos.

Reges oportet diuina-  
re, hoc est,  
iudicare

X.

Diuina labia Regis,  
Nec fallitur in iudicio os eius.

πνευματι-

XI.

Libra & statera iudicium Domini sunt,  
Et ipse autor est ponderum.

κως,

XII.

Publicum  
iudicium

D 3

Abo- Dei opus est

PROVERBIA

Abominantur Reges impietatem,  
Nam justitia thonum fortunat.

*Metui vult  
maiestatem  
publicorum  
Magistra-  
tum.*

XIIII.

Placent Regibus labia justa,  
Et veraces diliguntur.

XIII.

Indignatio regis nuncium est mortiferum,  
At vir sapiens placabit.

XV.

Serenus vultus Regis vita est,  
Et benevolentia eius velut pluvia serotina.

XVI.

Satius est sapientiam comparare, quam  
aurum,

Satius intelligentiam comparare, quam  
argentum.

XVII.

Gressus rectorum discedunt à malo,  
Custodit vitã suam, qui viã suam custodit.

*Tolluntur  
in altum,  
vt lapsu  
graviore  
ruant.*

XVIII.

Præit deiectioni superbia,  
Et anteit ruinam superbia animi.

XIX.

*Crucis præ-  
conium.*

Melius est deijci animo cum calamitosis,  
quam regnare & locupletari cum superbis

XX.

*Prudentia  
est DEO  
fidere.*

Prudenter tractans rem reperiet bona,  
Qui confidit DEO beatus est.

XXI.

Sapiens

SALOMONIS.

Sapiens sapientem consulit, & suauitas sermonis commendatiorem facit doctrinam  
XXI I.

Sapientes inter se cōsulunt.

Prudentia vena vitæ est, At castigatio stultorum stultitia est.

Φιλαυτίς

Stulti non mutant in melius, etiamsi quid mutant, vt in Saul & Achas apparet.

suā consilia placent.

XXII I.

Cor sapiens os docet, & doctrinam commendant labia eius.

Sapientes meditati loquuntur.

XXIII I.

Fauus mellis est sermo iucundus, Dulcedo animæ & medela ossium est.

XXV.

Est via, quæ recta videtur oculis hominum, cuius exitus est via mortis.

Fallimur nostra sapientia & iustitia.

XXVI.

Dat pœnas stulti loquentiæ os fut ile.

XXVII.

Homo nihil sibi malum accersit, In labijs eius est ignis comburens.

ἀχαλινον  
σομάτων  
ἀνάμοντε  
ἀφροση-  
νης ἑλε

XXVIII.

Homo peruersus excitat contentio- nem, Et delator sæpè inter principes dis- sidium concitat.

δησυχία.

XXIX.

Homo violentus laetatur amicum suum, & ducit per viam malam.

Fallunt fu-  
cati amici.

PROVERBIA

X X X.

*Seneſtus*  
*veneranda*  
*eſt.*  
*Leuit. 19.* Qui vultum fingit, machinatur malum,  
Qui labra componit, mala perpetrabit.

X X X I.

Honeſta corona ſeneſtus,  
Si in via juſtitie reperietur.

X X X I I.

Præſtantior eſt pariens, quàm vir for-  
tis,

Præſtantior item eſt, qui animo ſuo  
dominatur, quàm qui vrbes capit.

*Sapè vincas patientia, quem viceris impetu.*

X X X I I I.

*Deus regit*  
*omnia*

In ſinum dei ieiuntur fortes,  
At à Deo iudicium eorum proficiſcitur.

CAPVT XVII.

PRIMUM.

**M** Eliùs eſt ſiccum fruſtum panis cum  
tranquillitate, quàm domus plena  
maſtatis pecoribus cum contentione.

I I

Seruus prudens dominabitur filio tur-  
pi,  
Et inter fratres diuidet hæreditatem.

I I I

Vt

SALOMONIS.

Vt argentum excoquitur, & in fornace probatur aurum.

Ita Dominus corda probat.

IIII.

Malus auscultat improbo sermone,  
Mendax obsequitur perniciosæ linguæ.

V.

Qui ridet pauperem conuitium factori eius facit,

*Deus autor paupertatis*

Et cui calamitas alterius voluptati est non feret impunè.

VI.

Corona senum filij filiorum sunt,  
Et decus filiorum patres eorum.

VII.

Non decet stultum superbus sermo,  
Nec regem decet mendax labium.

*Iactantia damnator.*

VIII.

Bella gemma est donum,  
Quorsum se vertit dominus eius.

*Munera crede mihi placant hominesq; Deosq;.*

XI.

Qui calat alienum delictum, facit ut ametur,

*Eximia est virtus præstare silentia rebus.*

At qui palam res facit, inter principes dissidium concitat.

X.

Obiurgatio magis terret cordatum,

D 5

quàm

PROVERBIA.

quàm centum plagæ fatuum.

*Ne plagis quidem impij emendantur, Esaiæ 9.*

X I

Vindictam  
prohibet.

Contentiosus machinatur malum,  
Et in crudelem nuncium incidet.

X I I

Satiùs est occurrere vrsæ orbatae, quàm  
stulto in stultitia sua

*Nihil intractabilius insipiente fortunato.*

X I I I

Damnat  
ingratos.

Si rependas malum pro bono,  
Non discedet malum à domo tua.

X I I I I

Lis litem  
serit.

Litis initium perinde est, ac sicubi ab  
ueum ruperit aqua.

Et ex maledictis lis latè spargetur.

X V

Abominatur Deus tum eum, qui justifi-  
cat impium, tum eum, qui damnat justum.

X V I

Quid prodest precium stulto,  
Cum ad emendandam sapientiam cor non  
habeat.

Amicus

X V I I

certus in re  
incerta cer-  
uitur.

Semper diligunt amici, & in aduersi-  
tate frater agnoscitur.

X V I I I

Qui stipulatur ac spondet pro proxi-  
mo stultus est,

Diligit

SALOMONIS

Diligit peccatum, qui diligit conten-  
tiones, & ruent, qui superba moliuntur.

*Superbi con-  
tentiosi, &  
vindictæ cu-  
pidi sunt.*

X X.

Peruersus corde non inueniet bonum,  
Et peruersus lingua incidet in mala.

X X I.

Accersit stultus afflictionem sibi,  
Et non gaudebit stulti pater.

*Bonæ con-  
scientiæ  
præconium*

X X I I.

Cor lætum exhilarat vitam,  
At tristitia animi arefacit ossa.

*Impij im-  
moderata  
cupiunt.*

X X I I I.

Munus è sinu impius accipit, ut depra-  
uet semitas iudicij.

X X I I I I.

Coram cordato est sapientia,  
At oculi stultorum passim vagantur.

X X I V.

Patrem ac matrem dolore adficit fili-  
us stultus.

X X V I.

Malum est, damnum iusto dare,  
Aut principem iusta iudicantem percutere.

*Magistra-  
tus religio-  
se coli præ-  
cipit.*

X X V I I.

Qui parcè loquitur, sapit,  
Non est futilis spiritus homini cordato.

*Damnatur  
garrulitas.*

X X V I I I.

Vel

PROVERBIA.

Vel, stultus si taceret, sapiens reputaretur,  
Et videretur sapere, si clauderentur labia.

CAPVT XVIII.

I.

*Morum nihil candidè interpretantur.* **C**ui voluptas est dissensionem concitare, is capiat ubique rixandi occasionem.

I I.

*Suum cuiq; pulchrum.* Non libet stulto intelligere, Sed tractare ea, quibus ipse capitur.

I I I.

*Spiritualis iudicat omnia Stulti contentio num autores.* Cùm venit impietas, venit etiam contemptus, dedecus & contumelia.

I I I I.

Verba viri velut profundæ aquæ sunt, Et fons sapientiæ velut vberimum flumen.

V.

Personam impij perferre non est bonum  
Ut iustum à iudicio non abducas.

V I.

*ἀχαλινον  
σομάτων  
ἀναμοντε  
ἀφροση-  
νης ἑλελ  
δησυχία.* Labia stulti rixantur,  
Et os eius pugnam provocat.

V I I.

Os stulti sibi exitio est,

Et



SALOMONIS.

Et labia eius laqueus animæ eius.

V I I I.

Verba delatoris verbera sunt,  
Et penetrant ventrem.

Plures ne-  
cat lingua,  
quàm gla-  
dius.

I X.

Cessare perinde est, ac dissipare rem.  
Non minor est virtus, quàm quærere parta tueri.

X.

Arx munita nomen Domini,  
At eam curret justus & defendetur.

Nomine Domini defendimur, non nostris viribus.

X I

Opes diuiti sunt ei vrbs munitæ, &  
muri loco,

πλάττω  
ἵερν.

X I I.

Ante ruinam eleuatur cor humanum,  
Et anteit gloriam deiectio.

Tolluntur  
in altum,  
vt lapsu  
grauiore  
ruant.

X I I I.

Qui respondet priusquam audierit,  
stultus est, & confunditur.

Μήτε δικαιοδικάσης πρίν ἀμφοῖν μῦθον ἀμέσης

X I I I I.

Hilaris animus fingit ægritudinem,  
Et spiritum tristem quis ferret.

Nullæ res humana mederi potest malæ conscientie,

X V.

Corda

Et

PROVERBIA

Non pro-  
nunciant  
pij temerè.

Cordati probe judicant,  
Et auris sapientum quærit scientiam.  
X V I.

Contra,  
Hypocritæ  
alios docent  
se non do-  
cent.

Munus hominis facit ei viam,  
Et in conspectu potentium perducit.  
X V I I.

Concordia  
parvæ res  
crescunt.

Iustus primum accusat sese,  
Et venienti proximo patet.  
X V I I I.

Contententes fors componit, & inter  
fratres dijudicat.  
X I X.

Præstat habere coniunctum fratrem,  
quàm urbem munitam,  
Et litigantes sicut repagulum palatij.  
X X.

De fructu oris vir saturatur,  
De prouentu labiorum venter saturatur.  
X X I.

Mors & vita in linguæ potestate sunt,  
Et qui curant linguam comedent fructus  
eius.  
X X I I.

Inuenies vxorem inueniet bonum,  
Et hauriet voluptatem à DOMINO.

Laus coniugij: A Domino, inquit, bonum hauri-  
et, quia id vitæ genus multas afflictiones affert,  
Placi-

SALOMONIS

XXIII.

Placide loquitur egenus,  
Diues durè respondet.

XXIII.

Vir comis amicos sibi adiungit.  
Et amicus adhæret firmitus fratre.

Comitas  
amicos pa-  
rit.

CAPVT X I X.

L

**M**eliùs est egeno, qui probe ambulat,  
quàm stulto, qui praua labia habet.

I I.

Vbi non est scientia, malè habet homo,  
Et qui velox est pedibus impinget.

I I I.

Stultitia hominis euertit eum,  
Et cor eius D E O indignatur.

I I I I.

Diuitiæ augent amicos,  
Et pauper ab amicis etiam deseritur.

*Vulgus amicitias utilitate probat.*

V.

Mendax testis non erit impunitus.  
Et quisquis mendacia dicit, non euadet.

V L

Inconsulti  
facile ru-  
unt.

Tales sunt  
qui nõ per-  
ferunt cru-  
cem.

Num. 14.

Multi

PROVERBIA

*Vulgus amicitias vaillitate probat*

Multi fiunt amici personæ principis,  
Et nemo non est amicus eius, qui munera  
dat.

V I I.

Omnes fratres pauperis oderunt eum,  
& propinqui eius procul discedunt ab eo.

V I I I.

Qui verba spectat fallitur,  
Qui sapit benè habebit, & prudentes inue-  
nient bonum.

I X.

*Secundæ res stultos, id est, incautos, dementiãt & perdunt.*

Testis mendax non erit impunitus,  
Et loquens mendacia peribit.

X.

Non decent stultum delitiæ,  
Tantum abest, vt deceat dominari Princi-  
pibus seruum.

X I.

Patiens sapiunt, & delictum dissimu-  
lare gloriosum est.

X I I.

*Metui vult Magistrat9*

Ceu fremitus leonis, sic Regis est in-  
dignatio,  
Et benevolentia eius est perinde, vt nos su-  
per herbam.

X I I I.

Calamitas patris est stultus filius,  
Et mulier morosa est assiduum stillicidium  
Domus

SALOMONIS.

X I I I I.

Domus & diuitiæ hæreditate obueni-  
unt à parentibus,  
A Domino autem prudens vxor.

Dei donum  
prudens v-  
xor, non de-  
ligitur no-  
stro iudicio

X V.

Pigritia soporem paret,  
Et ociosus fame peribit.

X V I.

Seruans mandatum seruat animam,  
Qui vias suas negligit, morietur.

X V I I.

Fœnerat Domino, qui miseretur ege-  
ni, & retribuetur ei.

Largiri  
pauperibus.

X V I I I.

Castiga filium tuum dum spes est, fore  
vt corrigatur,  
Ne commoueare vt occidas eum.

Necesse ca-  
stigare, ta-  
met si non  
statim suc-  
cedit res.

X I X.

Magna enim ira detrimentum adfert,  
nisi coërceatur,  
Dimitte eum, vt & deinceps corripias.

Eueniunt  
non quæ  
nos institu-

X X.

Audi consilium, & admitte castigati-  
onem, vt & deinceps sapias.

imus, sed  
quæ Deus  
decreuit.

X X I.

Multæ cogitationes in corde hominis  
sunt,  
Consilium aurem Domini stabile est.

E

Deco-

PROVERBIA

XXII.

Largiri  
pauperibus.

Timor Do-  
mini etiam

in cruce vi-  
tam adfert.

Decora est homini beneficentia eius,  
Et melior est pauper, quam vir mendax.

XXIII.

Timor Domini vitam adfert, & ex-  
aturabit,  
Et habitabit sine visitatione mala.

XXIII I I.

Deus punit  
impios, vt  
erudiat pi-  
os, vt appa-  
ret in Ægy-  
ptijs & Is-  
raelitis.

Cauenda  
doctrina  
impia.

Abcondit piger manus in sinum,  
Ne ad os quidem admoueat.

XXV.

Si subsannator mulctatus fuerit,  
Imperitus erit callidior.

XXVI.

Si intelligentem argueris cautior erit.

XXVII.

Qui vexat patrem, & fugit matrem,  
turpis est & probro dignus.

XXVIII.

Cessa audire tili eruditionem, à verbis  
scientiæ seducentem.

XXIX.

Nihil testis redet iudicium, & os im-  
piorum iniquitatem.

XXX.

Impijs  
minatur.

Parata sunt derisoribus iudicia, & pla-  
ga tergo stultorum.

CA.

SALOMONIS.  
CAPVT XX.

PRIMUM.

**S**ubsannatores facit vinum, & tumultus  
parit ebrietatem,  
Quisquis illa delectatur, non erit sapiens.

*Damnat  
ebrietatem*

I I.

Terror regis est perinde, vt fugitus leonis  
Qui offendit, peccat anima eius.

*Docet me-  
tuendos esse  
magistratq*

I I I.

Gloria homini est desistere à lite,  
Et omnes stulti conuertiabuntur.

*Desistendū  
à lite.*

I I I I.

Propter frigus piger non arat, & men-  
dicabit in messe, & nihil impetrabit.

V.

Velut aqua profunda est consilium in  
corde viri,  
At vir intelligens exhauriet.

*Spiritualis  
omnia iu-  
dicat.*

V I.

Pleriq; benefici vocantur,  
Fidem autem quis inueniet?

*Nunquam  
suta fides.*

V I I.

Beati filij sunt probè ambulantes.

*Oculus do-  
mini multū  
prodest in  
retus omni-  
b; gerendis*

V I I I.

Rex sedens in solio iudicij, dissipiat  
omne malum intuendo.

E 2

Quis

PROVERBIA

XXI  
XIV  
Quis dicet, Parum est cor meum?

Vetat vio. Mundus sum à peccato?

lare ius pu-  
blicum.

X.

Variare pondera, variare mensuram,  
abominabile apud Deum est?

X I.

Studia  
mentem in-  
dicant.

Et studijs suis cognoscitur puer,  
Munda & recta sint eius facta.

X I I.

Non sapi-  
mus, non  
prævidea-

Ut auris audiat, ut oculus videat, Do-  
minus minus facit.

X I I I.

mus, ne ad-  
moniti qui  
dem, nisi

Ne dilige somnū, ne optimaris egesta-  
te, Si aperueris oculos saturabere pane.

X I I I I.

Deus exci-  
tet nos.

Malum est, malum est, dicunt cum tenent,  
At cum amiserint, laudant.

Sponte no-  
xa præsidè  
est.

Præsentia fastidiuntur. Optat ephippia bos pi-  
ger, optat arare caballis.

X V.

Magni sunt aurum & gemmæ,  
Sed preciosius vas labia scientiæ sunt.

X V I.

Impietas  
arridet, sed  
perdit.

Eripe vestimentum ei, qui pro altero  
spondet, & pignus ab eo accipe.

Cum ille alienus sit, pro quo se obstrinxit,

X V I I.

Dulcis est homini panis fraude partus,  
Postea verò os eius aterna replebitur.

CO B



SALOMONIS

XVII.

Consilium propositum fortunatur,  
Et consilij geretur bellum.

Damnatur  
temeritas.

XIX.

Ne coniunge tecum susurrone, quia  
arcana revelat, & blanditiis fallit.

Non audi-  
endos dela-  
tores.

XX.

Qui maledicit patri aut matri, extin-  
guetur lumen eius in medijs tenebris.

XXI.

Hereditas propterea principio, po-  
stea non benedicetur.

*Periculosum est, si res sine cruce succedit, ideo  
feliciter est regnum Davidis, quam Saulis.*

XXII.

Nec dic reddam malum, sed expecta  
Dominum is saluabit te.

Vindictam  
prohibet.

XXIII.

Abominabile est Domino variare  
pondera,  
Est statera fallax non est bona.

XXIV.

Omnium gressus a DEO sunt,  
Et quis homo intelligit viam suam.

Diuinitus  
omnia re-  
guntur.

XXV.

Laqueus est sancta contumelia adfice-  
re, & postea vota facere.

Impietas  
non expia-  
tur hypo-

XXVI.

E. 3

Dis-  
crysti.

PROVERBIA

Sapiens  
Magistra-  
tus cauet  
impia con-  
silia.

Dissipat impios rex sapiens,  
Et vehit aduersus eius rotam.

XXVII.

Exhilari Deo vita est hominis, & pe-  
net at totum corpus.

XXVIII.

Quem me-  
suunt ode-  
runt.

Beneficentia & veritas custodiunt Re-  
gem,  
Et fulcitur thronus eius beneficentia.

XXIX.

Corona iuuenum est robur eorum,  
Et decus senum est canicies.

XXX.

Deus emen-  
dat non cru-  
ce.

Vulnera ac plagæ medentur malis.

CAPVT XXI.

PRIMUM.

Psalm. 49.

**C**OR Regis in manu DEI est, sicut  
flumina aquarum, quorsum volet in-  
clinabit.

II.

Sua cuiq; via placet,  
Dominus verò corda impellit.

III.

Facere iustitiam & iudicium, melius  
est apud Deum, quam victimæ.

IIII.

Subli-

SALOMONIS

Sublimes oculi & superbum cor,  
Impiorum felicitas peccatum est.

*Tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant.*

V.

Confilia seduli planè abundantiam  
pariunt,  
Præcipites autem egebunt.

*στρεψθε  
βραδείως,*

V I.

Qui colligit thesauros lingua mendaci,  
frustrabitur & periclitabitur de vita.

V I I.

Rapinæ impiorum erunt eis exitio,  
Quia voluerunt iura obsequi.

*Impij vel  
curæ alienæ  
incommodo  
sibi volunt  
consultum,  
sicut Ty-  
ranni.*

V I I I.

Improbi opera peruersa sunt,  
At mundorum recta.

I X.

Satius est in angulo testi habitare,  
Quàm cum muliere morosa in domo am-  
pla.

X.

Anima impij desiderat malum, & fa-  
stidit proximum suum.

X I.

Dum mulctatur subsannator, imperi-  
tus commonefit,  
Et sapientes scientiam accipiant.

*Deus punit impios, vt pios commonefaciat.*

E 4

Eru-

& pe-  
nt Re-  
um,  
lis.  
sicut  
et in-  
melius  
Subli-



PROVERBIA

X I I.

Erudit justus domum impij,  
*Misereri* Sed defleunt impij ad mala.

*pauperum  
præcipit.*

X I I I.

Qui obstruit aurem pauperum clamori,  
Clamabit ipse vicissim, nec exaudietur.

X I I I I.

Donum clandestinum placat iram,  
Et munus in sinu vehementem iram.

X V.

Gaudium est justo facere judicium,  
Exitium facere iniquitatem.

X V I.

Qui aberat à via prudentiæ, inter  
mortuos erit.

X V I I.

*Parsimonia  
magnum  
vectigal.*

Redigitur ad inopiam qui amat gau-  
dia,  
Et quisquis amat vinum, & pinguedi-  
nem, non ditescet.

X V I I I.

Impij plectuntur pro justis, & pro re-  
ctis contemptores.

*Impij, tametsi exitium machinentur iustis, ta-  
men sibijpsis sunt exitio.*

X I X.

Satius est in terra deserta versari, quàm  
cum mulier morosa & iracunda.

Pre-

SALOMONIS

X X.

Preciosus thesaurus & oleum in domo  
sapientis est,  
At stultus homo dilapidat.

Sapientia  
est conser-  
uare rem  
familiarem  
Pietatis fru-

X X I.

Qui sectatur iustitiam & benefici-  
am, reperit vitam, iustitiam & gloriam.

ctus sunt,  
vita, gloria

X X I I.

Fortium urbem expugnat sapiens,  
Et fortibus ipsorum confidentia exitio est.  
Confidentia obest, vt Pharaonis exitium testatur.

Opes non  
parantur  
humana  
industria.

X X I I I.

Qui custodit os suum, & linguam su-  
am, custodit animam suam à tribulationi-  
bus.

X X I I I I.

Superbi temerè audent, & subsanna-  
tores in ira temeritatem designant.

Nimum  
confidunt  
superbi, vt  
Pharao.

X X V.

Cupiditates pigri occidunt eum,  
Quia noluerunt manus eius laborare.

X X V I.

Piger perpetuo cupit,  
Iustus verò dat, & non comparcit.

Psalms. 49.

X X V I I.

Immolatio impiorum est abominatio,  
quia per scelus effertur.

X X V I I I.

E S

Testis

PROVERBIA

Testis mendax peribit,  
Qui solet auscultare, is vicissim audietur.  
X X I X.

Pertinaciter pergit impius,  
Recti verò via fortunatur.

X X X.

*Psalms 38.* Non est sapientia, non est prudentia,  
non consilium contra Dominum.

X X X I.

Equus paratur ad bellum,  
A Deo verò victoria proficiscitur.

CAPVT XXII.

I

**F**ama præferenda est magnis opibus,  
Et gratia melior est argento & auro.

I I.

*Deus autor  
paupertatis* Versatur apud opulentum pauper,  
Facit utrumq; DEVS.

I I I.

Callidus mala peruidet & euitat,  
Et imperiti dum perumpunt, damnum ac-  
cipiunt.

I I I I.

*Humilibus  
dat grati-  
am.* Penes abiectos, qui Deum timent, di-  
uitiæ, gloria, & vita sunt.

V.

Cu-

SALOMONIS

Cuspides & laquei in via peruersi sunt,  
Qui procul inde refugit, custodit vitam  
suam.

V I.

Si institueris adolescentem in via sua,  
in eadem & senex perseverabit.

V I I.

Diues pauperibus imperat,  
Et qui mutuo accipit, seruus est foenera-  
toris.

V I I I.

Qui mala seminat, mala metet, & pla-  
ga perdet eum.

I X.

Liberali oculo benedicetur, qui dat  
de pane suo egenti.

*Deus bene-  
dicit largis.*

X.

Si pepuleris subannatorem, cessabit  
contentio, sedabiturque lis & conuitium.

*Vitandi  
impj.*

X I.

Rex amicus eius est, qui mundiciem  
cordis diligit, & laborum gratiam.

X I I.

Oculi Domini observant scientiam,  
Et contemptoris consilia frustrantur.

X I I I.

Piger ait: Leo foris est in platea, in-  
terficiae.

Fouca

letur.

ntia,

s,

r,

maco

di-

Cu-



PROVERBIA

XIIII.

Fouea profunda os scorti,  
Cui irascitur Dominus, is in eam incidit.

XV.

*Pueritia  
per pædago-  
giam coër-  
cenda.*

Stultitia agnata est cordi adolescentis,  
Virga verò castigatrix eximet eam.

XVI.

Qui iniuria adficit pauperem vt ditescat  
Is dabit ditioribus alijs, & egebit.

XVII.

Accomoda aurem, & audi verba sa-  
pientum, & animaduerte ad doctrinam  
meam. Est enim pulchra, si eam serues in  
pectore tuo, & labijs tuis feliciter tractabis  
eam.

XVIII.

*Quic doce-  
ceat, insum-  
ma verbum  
Dei, fidem  
quàm non  
docet ratio.*

Commonefacio hoc assiduò, vt in Do-  
minum colloques fiduciam tuam, tu ample-  
tere.

Nonnè tradidi tibi multipliciter con-  
silia & scientiam, vt docerem te veritatem  
quam certissimam, vt interrogantibus ve-  
ra respondere possis.

XIX.

Ne deprædare pauperem, eò quòd sit  
pauper, Ne opprimas afflictum in porta,  
quia Dominus causam illorum iudicabit,  
& perdet eos, qui illis vim intulerunt.

Ne



SALOMONIS.

X X.

Ne habeas commercium cum homine iracundo, & cum viro furioso ne vertere, ne adiscas mores eius, & accipias scandalum animæ tuæ.

*Vetat iracundiam.*

X X I.

Ne sis inter eos, qui spondent, aut fidem obstringunt apud fœnatorem

*Ad portas iudicari re-solebat in publico loco.*

Nam si non poterit persolvere, aufert à te lectos tuos.

X X I I.

Ne transfer præcos limites, quod maiores tui constituerunt.

X X I I I.

Qui mandatum maturè exequitur, stabit coram Regibus, nec inter obscuros relinquetur.

CAPVT XXIII.

PRIMUM.

**C**um accumbis, vt comedas cum Principe, observa quæ præponantur, & intenta cultrum gutturi tuo, vt vitam ducere. Ne cupias cibum eius, est enim fallax cibus.

*Dulcia in-expertu cultra potentis amici.*

I I.

Ne labora vt discas, à consilijs tuis cessa.

Ne

PROVERBIA

Ne adfectes id, quod consequi non  
potes, Faciet enim alias sibi, & velut a-  
quila ad cœlum subvolabit.

I I I.

*Inuidos vi-  
tandos esse.*

Ne comedere cibum inuidi, & ne cupi-  
as illum.

Nam ipse velut præstigiator fallit, cum ait:  
Comede & bibe, & apud animum inuidet  
tibi.

Portionem quam comedisti euomes,  
& perdes sermones tuos suaues.

I I I I.

*Margaritas  
vetat porcis  
obijcere.*

Auribus stulti ne loquaris,  
Contemnit enim prudentiam sermonis  
tui,

V.

Ne loco moueas priscos limites, & in  
campum pupillorum ne irrumpas,

Ne vindex eorum fortis est, judica-  
bit eorum causam aduersus te.

V I.

Accomoda cor tuum castiganti, &  
audi sermones scientiæ.

V I I.

*Pædagogi-  
am præci-  
pit.*

Ne cesses castigare adolescentem,

Si percusseris eum virga, non morietur.

Si virga verberaueris, ex inferis ani-  
mam eius eripies.

Fili

SALOMONIS.

V I I I.

Fili, si sapiens fuerit cor tuum, gaudebit cor meum, exultabunt renes mei, cum recte loquentur labia tua.

*Tametsi  
impij flore-  
ant aliquā-  
tisper, tamē  
tandem pe-  
ribunt.*

I X.

Ne amuletur cor tuum peccatores,  
Sed timeas Dominum tuum semper.

Expecta postrema, nec frustaberis, si  
expectaris.

X.

Audi fili mi, & eris sapiens, vt bene  
habeat in vita cor tuum.

X I.

Ne sis inter potatores & comessatores,  
Nam potatores & comessatores redigentur  
ad inopiam, & laceris vestibus vtetur som-  
nolentus.

X I I.

Audi patrem tuum, qui te genuit,  
Et ne contempnas matrem tuam natu gran-  
dem.

Veritatem, Sapientiam, Eruditionem  
& Intelligentiam compara, nec vende.

Iusti pater letabitur, Sapientis geni-  
tor gaudebit de filio.

Gaudebit pater tuus, & mater tua, &  
genitrix tua, obtempera, & oculis tuis viæ  
meæ placeant.

ER

PROVERBIA

Est enim profunda fouea meretrix, & puteus angustus scortum.

Hæc perinde ac prædones solent insidias struit, & incuriosos ad se allicit.

X I I I.

Vbi viæ? vbi eiulatus? vbi rixæ? vbi insidiæ struuntur? vbi fit, vt nihil meriti lautientur? vbi rubent oculi?

*Quod non ebrietas designat? opera recludit. Spes iubet esse ratas, in prælia trudit inermem.*

Nimirum hæc accidunt inter pocula, ijs qui confluunt, ut exhauriant, quicquid infusum est.

Ne inspice vinum cùm rubescit, cùm pellucet per vitrum color eius, & aridet postremò velut serpens mordebit, & velut aspis punget. Oculi tui spectabunt alienas mulieres, & cor tuum cogitabit peruersa, & eris perinde ac jacens in medio mari.

Supra antennam percusserunt me, inquires & non dolui. Vulnerauerunt me, & non sensi. Quando verò expergiscar, & rursus incipiam perpotare?

CAPVT XXIIII.

PRIMUM.

**N**E æmuleris viros malos, nec cupias apud eos esse. Nam damna meditantur cor eorum, & pernicioſa loquuntur, labia eorum.

Sapi-

SALOMONIS

I I.

Sapientia ædificatur domus, & intelligentia, & cubicula implet scientia, omnibus opibus preciosis & pulchris.

I I I.

Vir sapiens fortis est, & vir intelligens præstat robusto: Nam bella geruntur industria, & victoriam pariunt multa consilia.

I I I I.

Altior est sapientia, quam ut adsequatur stultus, & in porta hic ne os quidem aperit.

*Fortitudo est in aduersis rebus voluntati DE- I non aduersari.*

V.

Sibi machinatur malum autor sceleris.

V I.

Consilia stulti peccata sunt, Et subsannator est abominatio apud homines.

V I I.

Nihil fortitudo est, si in aduersis rebus parùm firmus fueris.

V I I I.

Eripe eos, qui ad mortem rapiuntur, & opem fer ijs, qui pertrahuntur ad cædem, Si dixeris: Non norâmus. Ecce cordium arbiter animaduertet, & obseruator animæ tuæ deprehendet, si reddet cuilibet juxta opera sua.

F

Comede

PROVERBIA

I X.

Comede mi fili mi, est enim bonum,  
& fauum dulce palati tuo: Sic est anima  
sapienti vbi inueneris, & restat postrema,  
nec frustrabitur expectatio tua.

*Tametsi flo-  
reant ali-  
quantisper  
impij tan-  
dem tamen  
peribunt.*

X.

Ne insidieris impie habitaculo iusti,  
ne interturbes quietem eius. Septies enim  
cadet iustus, & impij impingent in mala.

X I.

Si lapsus fuerit inimicus tuus, ne gau-  
deas, & impegerit, ne exulter cor tuum,  
ne videat Dominus, & afflictio Domini  
appareat, vt auertat ab illo iram suam.

X I I.

Ne æmulare malos, nec inuideas im-  
plices, nihil enim boni superest quod speret  
malus, Lucerna impiorum extinguetur.

*Lucerna  
gloria, res  
secundæ.*

X I I I.

Time Dominum fili, & Regem, & cum  
seditiosis ne commisceare, Mox enim in-  
stabit interitus eorum, & ruinam eorum  
quæ is scit?

*Seditiosos  
damnat.*

ETIAM HAEC SA-  
pientes præcipiunt:

X I I I I.

Spektare personam in iudicio, non est  
bonum,

Qui

SALOMONIS

X V.

Qui dicit impio, justus es, maledicit  
ei, & succensabit populus.

X V I.

Qui arguunt, amabiles sunt, & largé  
benedicetur eis.

Labia osculi quæ respondent appositè.

X V I I.

Primum perfice foris opus tuum, &  
exerce agrum tuum,

Postea ædificato domum tuam.

X V I I I.

Non sis testis iniquus aduersus proxi-  
mum tuum, ne allicias labijs tuis.

X I X.

Ne dicas, quemadmodum fecit mi-  
hi, sic faciam ei,

Reddam vnicuique secundum opera sua.

X X.

Agrum hominis pigri præterij, & vi-  
neam hominis stulti, Et ecce totum obrue-  
rant vrticæ, & tegebant spinæ, & mutus  
collapsus erat. Et vidi, & consideraui, vi-  
di vt erudirer. Paululum dormies? Pau-  
lulum obdormisces? Paulisper conseres  
manus ad dormitandum? Veniet tan-  
quam viator paupertas tua, & egestas non  
secus atque latro.

F a

C A

*In tempore  
doceri mo-  
neri iuuat.*

*Necessaria  
prius cu-  
randa.*

*Vindictam  
prohibet.*

PROVERBIA.

CAPVT XXV,

SVNT ET HÆ PARABO-  
læ Salomonis, quas inseruere viri  
Ezechia Regis Iuda.

✿  
Deus sic fa-  
cit omnia,  
vt mundus  
tamen non  
intelligat.

At reges in-  
quirere o-  
portet, non  
astutia, sed  
pietas for-  
tunabit re-  
gum consi-  
lia. Dum  
petit infir-  
mis nimirum  
sublimia  
pennis, Ica-  
rus Icareis  
nomina fe-  
cit aquis.

PRIMUM.

**G**Loria DEI est verbum cælare, ✿  
At gloria Regum est id inquirere.

I I.

Vt nec altitudo cœli, nec terræ pro-  
funditas comprehenditur,  
Ita nec cor Regis perscrutabile est.

I I I.

Si rubiginem de argento abstuleris,  
uas purum fiet.

Si impietatem à Rege abstulerit, for-  
tunabitur iustitia thornus eius.

I I I I.

Ne jactes te in conspectu Regis, & in  
locum magnorum ne irruas, Est enim sati-  
us, ut dicatur tibi, Ascende huc, quàm de-  
trudi à conspectu Principis, quem adspe-  
xerant oculi tui.

Ne properes litigare, ne quid facias,  
quod Postea proximum tuum confundat.  
Causam



SALOMONIS.

VI

Causam tuam iudicet proximus tuus,  
& arcana alterius ne reuela, ne contumelia  
adficiat te audiens, & infamare pergat.

VII

Aurea mala in argentis tabulis, ver-  
bum dictum oportune.

VIII

Velut torques aureus, & aureum mo-  
nile, est increpatio apud sapientem, qui  
auscultat.

IX

Sicut in messe frigus hybernum recreat,  
Ita nuncius fidelis recreat eum, qui misit,  
& anima domini eius acquiescit.

X

Nubes & ventus sine pluuia, id est,  
qui gloriatur pollicendo, & nihil præstat.

XI

Patientia placabitur Princeps, & lin-  
guâ mollis frangit duros.

XII

Vbi mel reperies, comede quantum  
satis est, ne saturatus reuomas.

Ne verbum DEI carnali cupiditate aut iudi-  
cio hauriatur.

XIII

Reuoca pedem tuum à domo proximi  
tui, ne satur oderit te.

F 3

(Hasta

Sapiens  
gaudet re-  
prehendi.  
Magistra-  
tus lauda-  
tur, qui of-  
ficium su-  
um facit.

Viel ge-  
schreyes /  
wenig  
wollen.

Fastidiun-  
tur præsen-  
tia.

PROVERBIA

X I I I I.

Hasta & gladius, & sagitta acuta est vir, qui aduersus proximum suum falsa testificatur.

X V.

Dens malus, & pervacillans est fiducia temporis in die tribulationis.

X V I.

*Vetat san-  
ctum dare  
canibus.*

Prauo cordi carmen canere, perinde est atq; lateris veitiri in frigore, & acetum vino addere.

X V I I.

*Vindictam  
prohibet.*

Si esurierit is qui te odit, pasce eum pane, & si sitierit, pota eum aqua.

Prunam enim cumulabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.

X V I I I.

*Vetat au-  
dire delato-  
res.*

Aquilo pluuiam pellit,  
At vultus serenus linguam delatricem.

X I X.

Satius est sedere in angulo tecti, quam in domo ampla cum muliere rixatrice.

X X.

*Impij offen-  
duntur re-  
bus aduersis  
piorum.*

Aqua frigida ei qui linquitur animo,  
nuncium bonum est ex terra longinqua.

X X I.

Fons conturbatus, & scaturigo corrupta,  
Iustus lapsus coram impio.

Non

SALOMONIS.

XXII.

Non est bonum immodicè multum  
mel edere.

Sic & qui graua scrutatur, obruetur.

XXIII.

Vrbs patens sine mœnibus,  
Vir qui non cohibet spiritum suum.

CAPVT XXVII.

PRIMUM.

**V**T nix in æstate intempestiua est, &  
imber in messe,  
Sic nec stultum decet gloria.

II.

Quemadmodum aufugit auis & præ-  
teruolat hyrundo,  
Sic ementitum conuitium non læuit.

III.

Flagellum equo, frenum asino,  
Virga tergo stultorum.

III.

Nec respondeas stulto de stultitia  
eius, ne similis ei videaris.

V.

Responde stulto de stultitia eius, ne  
sapere sibi videatur.

VI.

F 4

Vetat ver-  
bum DEI  
hauriri car-  
nali cupi-  
ditate.

Rebus secū-  
dis incauti  
dementan-  
tur, vt in  
Saul appa-  
ret.

Mendacia  
non lædunt

Præcipitur  
παύσαι  
γία

Post vnã  
atq; alte-  
ram admo-

nitioem  
ἀπελκόν  
hominem

Qui deuita.

est  
alsa  
du.  
nde  
um  
um  
put  
am  
no,  
ta,  
on

SALOMONIS.

Ignavi magistratus.

Qui per nuncium stultum rem gerit, est velut claudus pedibus, & damnum accipit.

V I I.

Impij non possunt rectè uti verbo DEI.

Vt claudus erigere nequit, Sic sunt sententiæ in ore stultorum.

V I I I.

Stultum honore adficere, perinde est, ac gemmam in πολυάνδριον conijcere.

*Rebus secundis incauti dementantur. Gemma coniecta in polyandrion, hoc est, locum foedum, in acervum lapidum, ubi de fontibus supplicium sumitur, perit.*

*Eadem sententia est in Liberianis Mimis. Loco ignominæ est apud indignum dignitas.*

I X.

Spina condita in manu ebrij, Sententia est in ore stulti.

X.

Gerenda res per peritos.

Vir peritus omnia rectè efficit, Qui verò conducit stultos, negligentes conducit.

X I.

Φιαντι haud ferè corriguntur, loh. 9. Quia dicitis, videmus &c.

Sicut canis rediens ad vomitum, Sic stultus est ingeminans stultitiam suam

X I I.

Si videris virum, qui sibi sapere videtur, de stulto melius speres, quàm de eo.

X I I I.

Piger ait: Leopardus est in via, Leo in plateis.

Sicut

SALOMONIS.

Sicut fores in cardine suo voluntur,  
sic voluitur piger in lecto.

X I I I I.

Abscondit piger manum in sinum,  
piget & ad os manum admouere.

X V.

Plus sibi sapere videtur piger, quàm  
septem, qui sententias docent.

*Pigri Hypocrites significant, qui videntur la-  
borare, & tamen officium suum non faciunt.*

X V I.

Qui transit ad litem, sua nihil referen-  
tem, perinde est, ac si canem vellicet auri-  
bus, ac lacestat.

Was dich  
nicht bren-  
net lesche  
nicht.

X V I I.

Vt qui abscondit se, jaculaturq; sa-  
gittas flammeas, & mortiferas.

Sic is est, qui frustratur amicum su-  
um & dicit, joco facio.

X V I I I.

Ignis extinguitur, vbi lingua non alunt,  
Sic sedatur contentio, vbi delator abfue-  
rit.

X I X.

Carbo prunas, ligna ignem accedunt,  
Vir contentiosus rixam.

X X.

F 5

Ver-

PROVERBIA.

Non est re-  
medium ad  
uersus syco-  
phantæ  
morsum.

Verba delatoris perinde sunt ac ver-  
bera, penetrantq; penetralia pectoris.

XXI.

Ut conuenit, si argenti scoria vas fi-  
tile obducatur,  
Ita labia venenata cum malo corde con-  
gruunt.

Dignum patella operculum. Spurcum os im-  
probo pectore.

XXII.

Labijs suis prodet se inimicus,  
Et cum appropinquat, insidias struit.

XXIII.

Cum blan-  
ditur ini-  
micus fallit

Cum voce sua blanditur, ne credas ei,  
Sunt enim in corde eius multæ abominati-  
ones.

XXIII.

Si quis texerit odium suum, vt dam-  
num det, reuelabitur eius malitia in cœtu.

XXV.

ἢ δὲ κακῆ  
βελῆ&c

Fodiens foueam in eam ruet,  
Et aduoluens saxum in ipsum impinget.

XXVI.

Impij non  
ferunt casti-  
gationem.

Lingua mendax non fert improbantem,  
Et os blandum perniciem adfert.

CAPVT XXVII.

PRIMUM.

No

SALOMONIS.

**N**E glorieris de die castino.  
Nescis enim, quid hodiè accidere  
possit.

Ne ante  
victoriam  
ἐγκώμι-  
ων

I I.

Prædicet te alienus, non os tuum,  
Peregrinus, non labia tua.

I I I.

Grauis est lapis, & ponderosa arena,  
Vtrocq; est grauior ira stulti,

Imperita  
nihil iniu-  
stius.

I I I I.

Crudelis est iracundia & ira,  
Et quis coram inuidia consistet.

V.

Melior est manifesta correptio, quàm  
clandestina dilectio.

V I

Fidelia sunt vulnera inflicta à diligente,  
Et oscula inimici contumelia sunt.

Charitas  
amat etiam  
cùm seuit.

V I I.

Anima satura fauum etiam calcet,  
Et animæ esurienti etiã amara dulcia sunt.  
*Esurientes implentur bonis, iuxta canticum Mariæ,*

V I I I.

Sicut avis est, qui nidum deserit,  
Sic vir est, qui deserit locum suum.

I X.

Vnguentum & aromata delectant cor,  
Dulcior autem amicus est propter consili-  
um animæ

Consilium  
res sacra.

Ami-

PROVERBIA.

Veteres  
amici co-  
lendi. X.  
Amicum tuum, & amicum patris tui,  
ne deferas, Et domum fratris tui ne ingre-  
diare tempore calamitatis tuæ.

Hesiodus:  
Γείτορες X I  
Melior est vicinus propinquus, quàm  
frater longinquus.

Ἐξωσοίεκα  
ον ζωσαν X I I.  
τοῦ πηοῦ  
Discce sapientiam, mi fili, & gaudebit  
cor meum, Vt respondere possis eis, qui  
mihi conuitium faciunt.

Der Za-  
spel mus X I I I.  
in Sacf.  
Callidus videt malum, & absconditur,  
Imperiti pergunt, & damnum accipiunt.

Imperiti  
pergūt ob- X I I I I.  
stinate, vt  
Pharao.  
Vestem ab eo auferas, qui pro alieno  
spondit, Et cum ille alienus sit, vt pi-  
gnus accipit.

Immodicæ  
laudes sunt X V.  
suspectæ.  
Prædicans amicum suum magnis cla-  
moribus manè confurgens, maledicere ei  
judicabitur.

X V I  
Similis est stillicidio assiduo cum  
pluit rixatrix mulier, Qui cohibet eam,  
ventos cohibet, & oleum retinere manu co-  
natur.

X V I I.  
Ferrum ferro acuitur,

Et



SALOMONIS

Et vir acuitur amici congressu.

Σαυτε θε̄ ερχομενω κ̄ τᾱ πρ̄οτα εν̄οσε, &c.

XVIII.

Seruans ficum vescitur fructibus eius,  
Et obseruans dominum suum honore adfi-  
cietur.

*Parsimonia  
magnum  
uedigal.*

XIX.

Vt facies in aqua resplendens fallit,  
Ita inter se corda hominum solent.

*Taxatur  
perfidia.*

XX.

Infernus & perditio non saturantur,  
Ita nec hominis oculi saturantur.

*Cupiditas  
inexplebilis*

XXI.

Argentum in vase purgatur, aurum  
in fornace,  
Homo verò laudantis ore probatur.

*Impij non*

XXII.

Si stultum contriueris pistillo, ceu  
triticum in mortario, non discedet ab eo  
stultitia.

*emendan-  
tur afflicti-  
onibus.*

XXIII.

Tuum pecus contemplare, & gregem  
diligenter cura.

*σπαρταν  
ελαχες*

Nec enim perpetuò tenebis has opes,  
& gloria non durat à seculo ad seculum.

*ταυτω  
κοσμες*

Prodit foenum, & virescit, donec de-  
metatur.

Oues

Et

PROVERBIA

Oves habes, quæ vestiunt te, & hircos  
quibus venditis, sumptus pares in agricul-  
tura faciendos,

Lac caprarum suppediet tibi victum ti-  
bi, & familiae, & ancillis tuis.

CAPVT XXVIII,

PRIMUM.

**F**ugit impius, tametsi nemo persequatur,

*Imperia* Iusti verò perinde ac leo confidunt.

*Sæpe muta-  
ri calami-  
tosum est.*

I I

Propter peccata populorum fit, ut alij  
subinde imperent,

*Mutantur  
autem pro-  
pter pecca-  
ta populi.*

Ac propter cordatos homines proro-  
gabitur imperium.

I I I

Vir pauper, qui pauperes iniuria adfi-  
cit, perinde facit, ac imber putrefaciens, &  
corrumpens segetem.

I I I I

Impios prædicant hi, qui legem deserunt,  
Contrà successent eis hi, qui legem seruant.

*Facta Dei  
pœnas &  
beneficia  
non conside-  
rant impij.*

V

Mali non intelligunt iudicium,  
Verùm qui DEVM quærunt, omnia in-  
telligunt.

V I

Melius

SALOMONIS.

Melius habebit pauper probus, quam  
diues improbus.

V I I.

Prudens est? qui legem seruabit  
Helluo verò patrem confundit.

V I I I.

Qui opes suas scenore auget, & immo- *Malè par-  
dico quæstu coaceruat, vt inopes effundan- dilabuntur*  
tur.

I X.

Qui recusat Regem audire, illius pre-  
catio etiam est abominabilis.

X.

Qui rectos educit, in foueam incidet,  
Et probis bona euenit.

X I.

Diues sapere sibi videtur,  
Et pauper prudens explorat eum.

X I I.

Res secundæ justorum magnam glo-  
riam pariunt.

*Cum iusti  
florent bene  
habent Re-  
publica.*

Cum verò euehantur impij, commu-  
tantur res hominum.

*Contra  
pessumeunt  
cum impij  
imperant.*

X I I I.

Qui cælat sua flagitia, malè habebit,  
Qui verò confitetur, & deserit, is miseri-  
cordiam consequetur.

X I I I I.

Beatus

P R O V E R B I A

*Præconium* Beatus est, qui semper pavidus est  
*timoris Dei* Duri ruent in mala.

X V.

*Tyranni* Ceu leo rugiens, ac esuriens ursus  
*βίχκος* Est princeps impius pauperi populo.

X V I.

Si princeps imprudens fuerit, multa  
fient iniuriæ.

At si oderit iniuriam, diu imperabit.

X V I I.

Qui iniuriam facit ad sepulchrum  
usq; profugus erit,

Nec quisquam sustentabit eum.

X V I I I.

Probi salui erunt,

Qui verò vias suas peruertit, semel cor-  
ruet.

X I X.

*Præcipitur* Qui exercet agrum suum, satiabitur  
*labor.* pane.

At qui ocio indulget egebit.

X X.

*Benedictio-* Viro fideli valdè benedicetur,  
*ne diuina* Et veloces ad diuitias parandas, non erunt  
*ditescimus.* innocentes.

X X I

Spektare personam non est bonum,  
Nam & propter frustum panis illi peccant.

Qui

SALOMONIS

Qui properat ut ditescat, & invidet  
alijs, nescit egestatem sibi impendere.

XXII.

Qui arguit hominem, postremo gra-  
tior erit assentatore.

Veritas  
tandem vincit  
& pro-  
batur.

XXIII.

Qui deprædatur parentes, & negat id  
esse peccatum, is socius est homicidæ.

Qui non ce-  
dunt ferè au-  
tores sunt  
magnorum  
tumultuum

XXV.

Superbus excitat lites,  
At qui fidit DEO pinguescet.

XXVI.

Qui confidet suo cordi, desipit,  
At qui sapienter ambulat benè habebit.

*Desipere est, suis consilijs fidere.*

XXVII.

Qui pauperi dat, is non egebit,  
Maledicetur autem avertenti oculos suos.

Præcipitur  
largiri  
egentibus.

XXVIII.

Cùm evehuntur impij, absconduntur  
homines.

Et cùm perierint impij, justi benè ha-  
bebunt.

CAPVT XXIX.

C

Qui

PROVERBIA  
PRIMUM.

*Sicut Pharaon, cum corrigi nollet, perijt.*

**Q**ui aduersus increpationes dura ceruice est, subito peribit.

I I.

Cum florent iusti, populus bene habet,  
Cum dominantur impij, luget populus.

I I I.

Qui diligit sapientiam, gaudio adficit patrem suum,  
Scortator autem perdet opes.

I I I I.

*Iuste iudicando imperia constabiliuntur.*

Judicio rex ditionem firmam facit,  
Qui donis capitur euertit eam.

V.

*Impij principes contemnunt ius. Fij placant Deum Rebusque sicut apparet in Nabaman. Imperito homine nihil iniustius.*

Qui assentator proximo, insidiatur ei,  
Irretitur peccato suo malus.  
Iustus autem gloriabitur & gaudebit.

V I.

Cognoscit iustus pauperum causas,  
Impius non aduertit animum ad dijudicandum.

V I I.

Subfannatores ciuitati exitio sunt,  
At sapientes inde poenam auertunt.

V I I I.

Si sapiens litigauerit cum stulto, sine ira scitur, sine rideat, placari stultus non potest

Viri

SALOMONIS

I X.

Viri sanguinari oderunt probum,  
Rectis autem vita eius curæ est.

X.

Totum spiritum suum effundit stultus,  
At sapiens tandem cohibet se.

X I.

Si Princeps delectatur mendacio,  
Impios tandem ministros habet.

*Qualis  
Princeps,  
tales con-  
uictores.*

X I I.

Pauperem scenerator obuium habet,  
DEVS vtriusq; animum moderatur.

*Non potest scenerator scuire, nisi permittat*  
DEVS.

X I I I.

Sedes Regis, qui verè iudicat paupe-  
res, perpetuò fortuna erit.

X I I I I.

Virga & obiurgatio adfert sapientiam,  
At puer, qui non coërcetur, pudescit ma-  
trem suam.

*Præcipitur  
μαδάγασ  
γία.*

X V.

Cùm florent impij scelera multa fiunt,  
Sed spectantibus iustis ruent.

X V I.

Si castigaueris filium, iucundus erit  
tibi, & affert animæ tuæ delitias.

G 2

Cum

cer-  
ber,  
s.  
ficit  
it,  
r ei,  
s.  
ndi-  
t,  
ira-  
teft  
Viri

PROVERBIA.

XVII.

Cum dēest Prophetia perit populus,  
Et qui legem custodiunt benē habebunt.

*Si verbum DEI non doceatur, necesse est malō*

*Impij con-* *habere res humanas.*

*temnunt*

*verbum*

*Dei.*

XVIII.

Servi non emendantur verbis, Nam  
tametsi intelligant, contemnunt tamen.

XIX.

Melius de stulto speres, quā de ho-  
mine præcipite.

XX.

*οὐεὐδέ*  
*εργαδέως.*

Si à puero servus delicatē tractatus fu-  
erit, dominari postea volet.

XXI.

Iracundus homo lites excitat, & sæpē  
peccat.

XXII.

*Res secun-*  
*dæ demen-*  
*tan incau-*  
*tos.*

Superbia delicit hominem,  
At humilis animus potietur gloria.  
DEVS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam

XXIII.

*Et Leuit.*  
*capite 5.*

Vitam suā odit, quisquis foris socius est,  
Periurium audiet, nec indicabit.

XXIV.

Qui timet homines, ruet,  
Qui fedit DEO subleuabitur.

XXV.

Multi Principis faciem ambiunt,

At



SALOMONIS.

At à DOMINO iudicium cuiusvis proficiscitur.

*Principens DEVS tibi placat, tu officijs tuis frustra niteris.*

XXVI.

Abominantur iusti iniquos, & abominantur impius rectam viam.

CAPVT XXX.

SERMO AVGVRI

filij Iake.

Hæc sunt præcepta, quæ tradiderunt Lithieli, Lithieli & Ichalo.

**S**ultissimus sum hominum, nec est penes me intelligentia, nec didici sapientiam, nec sanctorum scientiam cognoui. Quis ascendit in cælum ac descendit? Quis comprehendit ventos manu sua? Quis conclusit aquas in vestem suam? Quis fundavit fines terræ? Quod nomen est illi? Quod nomen Filio eius? Nostin?

*Apparet has sententias ab alijs quibusdam Salomonis libello additas esse.*

PRIMUM.

Omnis sermo Dei purgatus est, & clypeus ijs, qui fidunt eo. Ne addas sermonibus eius, ne te obiurget, tuq; mendax deprehendaris.

*Præconium verbi Dei.*

G 3

Duo

PROVERBIA.

I I.

Duo abs te rogavi, quæ antequam moriar, quæso largire: Procul à me amoue vanitatem & mendacium. Inopiam & diuitias ne dederis mihi. Demensum meum suppedita mihi, ne vbi satur fuero mentiar, ac dicam: Quis est DEVS? Ne uè per inopiam furtum committam, & polluam nomen DEI mei.

I I I.

*Hypocrisin  
generis hu-  
mani taxat*

Ne accuses seruum apud herum suum, ne tibi conuitium facias, ac pœnas des.

I I I I.

Hoc genus patri conuitium facit, nec benedicat matri.

V.

Hoc genus videtur sibi mundum esse, & tamen sordes suas non eluit.

V I.

Hoc genus attollit oculos suos, & palpebras suas eleuat.

V I I.

Huius generis dentes, tanquam gladij sunt, & tanquam enses molares sunt, vt deuorent humiles, & inopes è medio auferrant. Hinc sanguisugæ, multæ sunt filia, quæ clamant, Age, Age.

V I I I.

Tria

SALOMONIS.

Tria hæc non saturantur, item quartum inexplebile est:

Infernus, Vulua, Terra arefacta,  
Ignis postremó inexplebilis est.

I X.

Oculum, qui patrem fastidit, & matris imperium contemnit, corui juxta flumen effodient, & vorabunt aquilæ.

Præcipit  
coli parentes.

X.

Tria hæc ignoro, minimè verò quartum teneo.

Viam aquilæ in aëre,  
Viam serpentis supra petram,  
Navis iter in flumine.

Et viam hominis erga adolescentulã,  
Talis est & adulteræ via, quæ vbi perdidit virum, os tergit, & negat se malum fecisse.

X I.

Tria perturbant terram, quartum profusus ferri non potest.

Si seruus imperet.

Si stultus satur fuerit.

Si morosa nupserit,

Si ancilla fuerit hæres dominæ facta.

X I I.

Quatuor minuta sunt in terra, quæ prudentia vincunt etiam sapientes.

G 4

For.

PROVERBIA

At homines  
magistrati-  
bus etiam  
parere de-  
treclant.

Formica imbecille genus, & tamen in-  
messe cibum sibi parat.

Cuniculi infirmum genus, qui rupi-  
bus habitant.

Locustæ, quæ quanquam non habeant  
Regem, tamen agminatim prodeunt.

Araneus telam texit, & habitat Regum  
aulis.

X I I I.

Tria hæc probè ingrediuntur, Quar-  
tum item bellè incedit.

μυδὲν  
ἀγαν.

Leo valida bestia, nec refugit vllam  
beluam.

Canis venaticus firmis lumbis præ-  
ditus.

Aries & Rex, cui resisti non potest.

X I I I I.

Cum per stultitiam effers te, & moliris  
malum, comprime manus.

Nam si lac crebrius tundas, butyrum  
fiet.

Si emunxeris nares vehementius, san-  
guinem elicies.

CAPVT XXXI.

SERMO SAMVELIS REGIS.

Hæc sunt præcepta, quæ docuit  
eum mater:

Quæso

SALOMONIS.

PRIMUM.

**Q**uæso te Fili uteri mei, Fili exoptatissime, ne da mulieribus opes tuas, perdunt enim Reges.

Ne Regibus aut Principibus vinum des, aut siceram, ne poti obliuiscantur juris, & de humilibus prauè judicent.

Date siceram adflctis, & vinum mœstis, vt poti obliuiscantur inopiæ suæ & ærumnarum.

I I.

Patrocinare mutis in iudicio, & omnibus orphanis patrocinare, iudicia & abiectum inopem vindicare.

I I I.

Probam mulierem quis inueniet?  
Ea præstat gemmis:

I I I I.

Confidit in ea cor mariti, & res familiaris non deficiet.

V.

Reddet ei bonum & non malum perpetuò.

V I.

Tractat lanam & linum, voluptati ei est officium suum facere.

Perinde est atq; nauis mercatoris, ex longinquo afferens panem suum.

PROVERBIA

V. I. I. I.

Noctu surgit, & parat familiæ cibum,  
& ancillis demensum.

I X.

Considerat agrum ac emit, & vineam  
suo labore plantat.

X.

Accingit lumbos accuratè, & corro-  
borat brachia sua.

X I

Sentit quàm bona sit negociatio sua,  
nec noctu extinguetur lucerna eius.

X I I.

Manum suam admouet ad colum, &  
tractat fusum.

X I I I.

Manum pauperibus obfert, & porri-  
git inopi.

X I I I I.

Non metuit domui suæ à frigore,  
Nam vniuersam familiam vestit duplici-  
bus.

X V.

Ornamenta fecit sibi,  
Byffo & purpura vestit.

X V I

Conspicuus est in porta maritus eius,  
vbi sedet cum senioribus regionis.

§Tunicas

SALOMONIS.

XVII:

Tunicas parat & vendit, & cingulum  
dat mercatori.

XVIII.

Fortitudo & decus vestit eam, & gau-  
debit etiam in posterum.

XIX.

Os aperit sapienter, suauitas in lingua  
eius est.

XX.

Speculatur statum domus suæ, nec  
edit cum ignauia panem.

XXI.

Surgent eius liberi, & prædicabunt  
eam,  
Maritus eius laudabit eam.

XXII.

Multæ filiæ parabunt opes, tu superas  
omnes.

XXIII.

Fallax venustas est, & vana est forma,  
Mulier timens Deum laudabitur.

XXIII I.

Date ei de laboribus suis, & prædi-  
cent eam in portis facta eius.

FINIS.

# DICTA SA- pientum.



Mnibus placeto.

Bona res quies.

Periculosa temeritas.

Quicquid promiseris fa-  
cito.

Amicis aduersa fortuna  
uentibus idem esto.

Infortunium tuum cœlato, ne voluptate af-  
ficias inimicos.

Veritati adhæreto.

Violentiam oderis.

Age quæ iusta sunt.

Domus curam age.

Liberos tibi carissimos erudi.

A maledicentia temperato.

Beneficij accepti memento.

Inferiorem ne reijcias.

Ne teipsum præcipites in discrimen.

Temperantiam exerce.

Moribus probatus esto.

Oderis calumnias,

Turpia fuge.

Voluptati tempera.

A iurejurando abstine.

Pietatem



DICTA SAPIENTVM.

Pietatem sectare,  
Laudato honesta.  
A vitijs abstine.  
Beneficium repende.  
Supplicibus misericors esto.  
Liberos institue. Litem oderis.  
Sapientum vtere consuetudine,  
Bonos in precio habeto.  
Audi quæ ad te pertinent.  
Probrum fugito. Responde in tempore.  
Ea facito, quorum non possit pœnitere.  
Ne cui inuideas.  
Quod justum est imitare.  
Benè meritos honora.  
Spem foue. Calumniam oderis.  
Affabilis esto.  
Cùm errâris muta consilium.  
Diutinam amicitiam custodi.  
Omnibus teipsum præbe.  
Concordiam sectare.  
Magistratus metue.  
Ne loquaris ad gratiam.  
Ne tempori credideris.  
Teipsum ne negligas.  
Seniorem reuerere.  
Mortem oppete pro patria.  
Ne quauis de re doleas.

Ex

DICTA

Ex ingenuis liberos crea.  
 Sperato tanquam mortalis.  
 Parcito tanquam immortalis.  
 Ne efferaris gloria.  
 Arcanum cela. Cede magnis.  
 Oportunitatem expecta.  
 Mortalia cogita.  
 Largire cum vtilitate.  
 Ne prior iniuriam facias.  
 Dolorem fuge.  
 Mortuum ne rideto.  
 Amicis vtere.  
 Delecta amicos.  
 Consule inculpaté.  
 De Numine ne malé loquare, quid sit au-  
 tem ausculta.  
 Audito multa, loquere pauca.  
 Prius intellige, deinde ad opus accede.  
 Ne ob diuitias laudaris virum indignum.  
 Principem honora.  
 Amicos probato.  
 Nemini promittito.  
 Similis sis tui.  
 Quod adest boni consulito.  
 Susurronem ex ædibus eijce.  
 A familiaribus in minutis rebus læsus fe-  
 ras.  
 Inimicum ne putes amicum.

Quæ

SAPIENTVM.

Quæ feceris parentibus, eadem à liberis  
expecta.

Ante omnia venerare Numen,

Inter amicos ne fueris iudex.

Nec contende cum parentibus, etiamsi ju-  
sta dixeris.

Infortunatum ne irriseris.

Ne lingua præcurrat mentem.

Quæ fieri non possunt, ne concupiscas.

Vxorem ducito ex æqualibus, ne si ex diti-  
oribus duxeris, dominos tibi pares,  
non affines.

F I N I S



Hc 287

au

m

fe

ua







K 583

(X 219 1846)






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



SENTENTIA  
SALOMONIS  
IUXTA HEBRAICAM  
VERITATEM SVMMMA  
cura redditæ.

AVTHORE  
PHILIP. MELAN.



HENRICOPOLI  
Excusæ per Conradum Corneum.  
M. D. VIIIC.

